Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Jacob Gerhardi

Virtutum Moralium Rosetum In alma Rosarum Universitate exstructum Sive Exercitationes Ethicae Rostochii ad disputandum propositae

Rostochi[i]: Pedanus, 1621

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729272885

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729272885/phys_0001
DFG

VIRTUTUM MORALIUM

ROSETUM

In almâ Rosarum Universitate exstructum.

SIVE

EXERCITATIONES ETHICÆ

Rostochij ad disputandum propositæ

In quibus jucundissimæ & utilissimæ quæstiones de virtute morali exhibentur & enodantur,

AUTHORE

M. JACOBO GERHARDI
Colbergâ-Pomeran.

ROSTOCHI
Typis Joachimi Pedani, Acad. Typog.
ANNO M. DC. XXI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729272885/phys_0003
DFG

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729272885/phys_0004
DFG

Perilluſtri, Magnificis, Generoſis, Ampliſſimis
VIRIS

Dn. TIDEMANNO GISEN Burggravio Regio, ac Conſuli digniſsimo

Dn. ARNOLDO ab HOLTEN } Præconſulibus
Dn. VALENTINO à BODECK } graviſsimis.

Dn. ADRIANO von der Linden Conſuli meritiſsimo.

Dn. JOHANNI PROIT Judiciorum adſeſſori Prudentiſsimo.

Patribus Patriæ, Juſtitiæ in Auguſtiſsimâ & florentiſsimâ Republicâ Dantiſcanâ Præſidibus, Legum Cuſtodibus vigilantiſsimis, Muſagetis Maximis.

Dominis, Mecœnatibus, Patronis & Promotoribus meis magnis & devotè honorandis.

S. P. P.

Perilluſtris, Magnifici Generoſi & Ampliſsimi Viri

PHiloſophiam qui hoc encomio cum Tullio dignantur, quod virtutis ſit indagatrix, vitiorumq; expultrix, & divinarum humanarumq; rerum cognitio, illi medius fidius rem acu tangunt, & regiam veritatis viam prenſant. Cum enim, ut *Apulei* utar verbis, cæteri magnitudine rei territi, ejuſmodi laborem arduum & profundum exiſtimarent; Sola Philoſophia ſuum non deſpexit ingenium nec indignam ſe exiſtimavit, cui divinarum humanarumq; rerum diſceptatio & animi ægroti

cura deferatur. Nam alterâ sui parte, exterit ingenij rubiginem docetq; nos cogitationibus longè lateq; exspatiari, & abditissima mundi penitralia subire & explorare: Illâ intellectum instruit ut non tantum nubium tenus se sublimare, totumq; istud spatium ubi fulmini & fulguri locus, contemplari queat, verum adhuc altiùs se elevare ultra illud cacumen, ipsumq; ætheris, ut ita dicam, solum penitrare, & volucri cogitationum curriculo peregrinari per plagas cæli, in quo perfectissimo mundi, *ut loquitur Ennius*, clypeo miris fulgoribus variata cælamina suspicimus: Imo tandem ad ipsum divinum sacrarium horrore tranquillo & pavore venerabile, adcedere audet, ipsumq; Jovam, à corporis contagione procul discretum, obq; id visibus nostris denegatum, exordio fineq; carentem, & prorsus ac retro æviternùm acie mentis intueri; quamvis ad hunc luce in accessibili radiantem conversa mens humana, æquè caliget ac vespertilionum oculi ad clarum solis jubar. Alterâ vero parte ad humanas actiones se demittit, & hoc unum agit, ut hominem quotidie meliorem faciat. Etenim quamvis præcipuum in terris animal homines simus, tamen prohdolor! indies conspicamur, quod pleriq; qui boni esse potuissent, incuriâ disciplinæ ita se omnibus erroribus depravarint, ac piacularibus sceleribus imbuerint, & propè exesâ mansuetudine generis sui immane efferarint, ut possit videri nullum animal homine postremius. Quid quod ab ipsâ naturâ nullum animantium, tam varijs ac vehementibus præditum perturbationibus, quibus inquietentur quam homo, cui infrenes affectus non modo sanguineum sudorem & niveam canitiem, *Thuano*, *Scaligero*, *Lemnio*, alijsq; testibus, expressêre, sed etiam non paucos internecioni dedêre referente *Plinio?* Adde quod quamdiu in hoc mundo, tanquam magno aliquo theatro sedemus, nemo non aliquod vitium

tium aut ingenti præconio nobis commendat, aut penitùs imprimit, aut neſcientibus allinit. Imo quod dolendum, vitia virtutum ſpecie, quam mentiuntur, non paucos à quibus apertis & obvijs ulnis excipiuntur blandè decipiunt, ut heic multi magno periculo ablucinẽtur. Obrepũt illa ſub nomine virtutis, inq; interiores animi receſſus ſeſe illatebrant. Temeritas ſub titulo fortitudinis venit. Ignavia mutato nomine ſalutatur modeſtia: ſcurrilitas indigetatur urbanitas & jocunditas: pro cauto timidus accipitur, pro deceptore prudens. Ab his malis immunes nos præſtat Philoſophia practica, quæ ob id à *Platone* haud incongruè *meditatio mortis* definitur, non quod jubeat vulnere vaſto dividere præcordia, ferroq; in viſcera adacto, animam elidere & Orco oppignorare, quale factum patravit Cato, quem propterea magnificis verbis extollit *Seneca*, dum ſcribit eum ſervitutis humanæ clauſtra perrupiſſe, & quam ferro non emiſerat animam, manu extraxiſſe: verum hâc de cauſa meditatio mortis indigetatur quod affectus inquietiſsimos ita tranquillet ac quietet, ut mortui videantur. Nam ſi *Macrobio* credimus recepta inter Platonicos erat ſententia, neminem debere ex carcere cui incluſus exire, niſi imperio includentis dimittatur, quod canum veræ Philoſophiæ decretum, αὐθχαιρεσίαν tanquam ſobolem timiditatis expreſsè improbat. *Damaſcenus in Dialect.* aliâ viâ Platoni patrocinari, aggreditur, ſtatuens duplicem mortem, *Naturalem* alteram, quæ res naturales compagibus ſolutis diverberat, & inter materiam formamq; diſcidium parat; alteram *Electitiam*, quâ affectuum procaciam quaſi jugulamus & opprimimus, ne contra Rationem inſurgant, & ſuavi inlicio ad minus honeſta ſe abduci patiantur, ut certiſsimum Habitus virtutis argumentum ſit, ad blanda & quæ voluptatem comitantur mala trahentia, non prope-

rare, non ire, non abduci, nec pati se ullâ necessitate trahi. Hinc Philosophus noster Fælicem quadratum vocitavit, quem nulla vis impellere, aut loco dimovere possit, sed semper sui maneat similis. Est instar rupis quæ in mari vadoso constituta, licet creberrimo fluctuum undecunq; moti fuerint, incursu & assultu percutiatur & verberetur, non cedit neq; loco movetur, sed obtendit adsuetum fluctibus latus & firmâ duritie quassantis undæ impetum sustinet ac frangit. Tales cum nos faciat Practica Philosophia, quis eam efflictim non amaret? Quis eam non exoscularetur? Quis agros ejus viridantibus virtutum floribus cæsariatos & picturatos lustrare non discuperet? Qui cum morbis manus conserunt, corpusq; fædis ulceribus & porrigine obsitum circumferunt, ardentissimis votis sanitatem exoptant, omnemq; movent lapidem, ut illam recuperare queant; & animi ægritudinem tollere nemo velit allaborare? Mos antiquis fuit, inquit *Seneca epist. 15*, usq; ad meam servatus ætatem, primis epistolæ verbis adjicere: Si vales bene est. Recte & nos dicimus, si philosopharis benè est. Valere enim demum hoc est. Sine hoc æger est animus. Corpus quoq; etiamsi habet magnas vires, non aliter quam furiosi aut phrenetici validum est. Ergo hanc valetudinem præcipuè cura, deinde & illam secundam, quæ non magno tibi constabit si volueris bene valere. Stulta est enim & minimè conveniens literato viro occupatio exercendi lacertos, & dilatandi cervicem, ac latera firmandi. Cùm tibi fæliciter sagina cesserit, & tori creverint, nec vires unquã opimi bovis, nec pondus æquabis. Adijce nunc quod majore corporis sarcinâ animus eliditur. Hæc & similia me quoq; in amorem Virtutis moralis, & contemplationem Ethices pertraxere, & effecêre ut nonnihil temporis huic disciplinæ tribuerem, tum ut alios tum ut meipsum

& in

& in cognitione & in prāxi redderem perfectiorem & meliorem, memor istius Senecæ dicti: mutuò ista fiunt homines dum docent discunt. Etsi autem voverem hoc roſetum Vincetoxicis esse refertissimum, ut ex eo aliquid adversus bilem pectora inimicantem, aliquid adversus avaritiæ pruritū, cæterasq; pestes auxilij & remedij depromi posset, tamen vovere tantū queo, non spondere, qui paupertini ingenij mei optimè sum mihi conscius. Nihilominus cum plærumq; ita fiat, ut nævos etiam nostros & cicatrices amemus, *ut loquitur* ℭ*Ausonius* nec soli nostro vitio peccasse contenti, affectemus ut amentur, non ibo inficias idem mihi accidere, dum inertis otij mei opusculum levidense, de sparsis collectum, deq; alienis proprium, emitto. Vobis autem Perillustris Magnifici, Nobiliss: Ampliss: Viri illud inscribere volui, tum quod optimè sciam vos tanquam Musagetas optimos maximos hæc quoq; studia Philosophica non calcare, sed promovere, quiq; illa sectantur summo favore prosequi, & molliter fovere; tum ut declararem adhuc altâ mente reposta esse ea beneficia quibus sum affectus in incluto vestro Gymnasio, in quo per integrum sexennium cum maximo studiorum meorum æmolumento sum commoratus. Non enim erubesco publicitùs profiteri me rudem, in illud vestrum Lycæum involasse, ita ut quoq; prima Logicæ & Rhetoricæ elementa ignoraverim, nedum Philosophiam limis aspexerim oculis. Ibi itaq; fundamenta Artium ac Philosophiæ jeci, non obstante, quod tum temporis Keckermannus quasi redivivus in omnibus auditorijs resonabat, dum ejus systemata publicè explicabantur, ac propterèa mihi metuendum magnoperè, ne fabulosum fundamentum ponerem, acceptando & imbibendo falsa & adulterina principia, quibus scripta istius Viri scatent, pro veris & genuinis. Nam scripta nostratium, *Keckermanno*

manno, Goclenio, Timplero alijsq; ejusdem furfuris, oppositæ qualia edidere *Rev. Dn. D. Casp. Finckius, D. Balth. Meisnerus* &c. mihi facem prælucebant ut sine errore & inoffenso pede in illis systematibus versari possem; donec discussis nebulis lux affulgere clariùs cepit, & *Rev. & Excellent. Dn. D. Johannes Rodenborch* piæ memoriæ, & præcipuè *Rev. ac Clariss. Dn. Andreas Hojerus SS. Theolog. Licent.* Fautor & Præceptor multis nominibus colendus, animum in veritate, in qua ad id tempus perstiterat, firmarent ac roborarent. Quare PERILLUST. M M. N N. A A. VIRI cùm vobis unicè acceptum ferre cogar, Philosophiam meam nascentem & in cunis vagientem, annon peccem in cælum terramq;, inq; præclaram vestram beneficentiam quâ studia mea tenerrima enutricata sunt, si cuiquam alteri quam VOBIS, ejusdem jam pubescentis primitias, si non perfectum & grande aliquid redolentes, labore tamen & amore studendi, quod præfiscinè dico, imbutas, offerrem & consecrarem? Accipite igitur placidis atq; serenis vultibus chartaceum hoc munus vegrande, quod tanquam syngrapham gratitudinis & observantiæ debitæ oppignoro, meq; & studia mea vestro favore & patrocinio non dedignemini. Hoc ipsum humilime à MM. NN. AA. vestris peto, pariterq; voveo Jehova diu vos salvos & incolumes servet, quos ipse in his terris suoipsius loco esse voluit jussit, ut vera religio, sancta justitia & honestæ literæ sub vestra tutela, in incluta vestra Urbe pacatè diversentur. Dabam properiter Rostochij, undecimo Junij, Anno æræ Christianæ clo Ioc. XXI.

VV. P. MM. NN. & AA.

submissè colens

M. Jacobus Gerhardi.

SUO

suo

M. JACOBO GERHARDI

πίμπλα Ethica edenti.

INter apis veluti volitans Vernantia Tempe,
Pratave, quæ liquidæ fonte rigantur aquæ,
Floribus incumbit summis, atq; ore pererrans,
Immemor haud hyemis, mellea dona legit;
Et veluti (siccos dum torret Sirius agros,
Dumq; inter lusus pigra cicada canit.)
Formica angustâ granorum pondera calle
Trudit, & obnitens horrea messe premit:
Non aliter gravium volitas per scripta virorum
GERHARDE, Aonij cultor amansq; chori.
Namq; aliter solers convectas σπερμολ' & inde
Nectare & Ambrosiâ πίμπλα plena paras.
Quam benè! *Quo vives, satur ævi, melle refectus,*
Atq; juventutis fruge fruêre tuæ.
Sic tibi, dum ver est, sementem sparge juventus,
Unde domus largâ messe referta venit.
Opprimet ignavos hyemis violentia fucos,
Quæq; prius cecinit, morte cicada cadet.

Testificandæ benevolentiæ gratiâ apposuit

JOHANNES AFFELMAN SS. Theol.
Doctor, Professor, & p. t. Decanus.

A Teſi quæram, Dic Cur Hic, docte Jacobe
Reſponſare queunt quæ nunc ζητήματα vulgas.
Hæc te, non ſegnis ſectatum caſtra Vacunæ,
Nec vacuaſſe ſcyphos vino zythove repletos
Oſtendunt, queîs ſe ſtudijs ſacrata juventus
Sæpiculè addicit, pudor heu! ſed docta Lycæi
Limina triviſſe. Hoc ſtadium decurrito porro,
Te doctos inter numerabit ſera Vetuſtas.

Johannes Quistorpius
Theol. D. Prof. & Eccleſiaſtes.

Ergò tuos publico donas, Gerharde, labores,
quos Genio natus meliore, & Apollinis aurâ
felix è ſcriptis deprompſti, Philoſophorum
primus, Ariſtoteles autor quæ in ſecula miſit
poſtera, de niveis Morum virtutibus olim.
Laudo animũ, atq; otij hoc pignus tibi gratulor. Obe
vivere te cernit, qui vultum & lumina neſcit.
Curarum ſterilis quid letho Vita ſevero
differt? errabit, Vitam qui temporis atq;
annorum tractu non-tutæ mentis Oreſtes
metitur: magno, quisquis ſapit æſtimat, actu.
Ille animâ fruitur, qui caſtas Palladis artes

ardet

ardet, & ingenij multùm luctatur acumine:
is verè vivit, cujus benè pectus & indolem
ipsa sibi studio sumit majore colendam,
atq; malo durat Virtus, Io! mascula Virtus.
Ast segne, ignavum pectus non obtinet ullum
instar viventis: funus mortalibus inter-
est veluti spirans, & ἀχρήσιμον ἄχθος ἀρούρης.
Laudo ergò GERHARDE, *animum:* GERHARDE, *labores*
laudo: hôc perge gradu: sic itur Honoris ad ædem.

ἐγκώμιος fac.

M. JACOBUS BREIGERUS.

NEuthus, neu scombros metuas visura nepotes
Charta recens, aliquid quoniam decoctius adfers
Atq; hi, quos sufflat præcox sapientia, quorum
Bullatis nimium turgescit pagina nugis.
Ito ad Musæos proceres, digniſsima charta
Persicus (adstabit) quicquid laudabit haruspex.

ad Famæ fanum eunti libro
inter negocia adscripsit

M. MICHAEL HAVEMAN.

Erra-

Errata typographica.

In proœm. lin. 23. pro noſtrum leg. noſtrorum. diſp. 1. th. 5. lin. 5 pro operemur leg operamur theſ. 9. lin. 22. pro hoc leg. hoc. diſp. 2. theſ. 11. lin. 8. pro voluntarias leg. voluntariæ theſ 23. lin 13. pro Imperatores leg. Imperator th 26. lin. 9. pro Qid leg. Quid. theſ. 30 pro l. 11. leg. l. 6. theſ. 39. pro profligi leg. profligari. coroll. 1. lin. 1. pro Mereto leg. Mureto. diſp. 3 theſ. 4. lin. ult. pro emendanur leg. emendentur. theſ 8. lin. 13. pro introducatur leg introducantur lin. 14. pro obtemepandum lege obtemperandum. lin. 19. pro e leg. a theſ. 12. lin. 13 pro quid leg. quí theſ. 20. lin. 13. pro maximæ leg. maximè theſ. 21. lin. 12. pro fabuloſum leg. fabuloſum lin. 21. pro quæ virtute leg quæ in virtute. theſ 24. lin. 4. pro igitur leg. ita. th 30. lin. 3 pro pondeus lege ponùs. diſp. 4. theſ. 3. lin 1. pro Ætymologia leg. Etymologia th. 8. lin. 5 pro Ariſtoteli leg. Ariſtotele. theſ. 10. lin. 6. pro quod leg. quæ. theſ. 31. lin. 3. poſt promulgationem adde volunt. theſ 35. lin. 5. pro generale leg. ſpeciale. diſp. 5 theſ. 5. lin. 26. pro lædit leg. lædunt. in coroll. 3. lin. 3. te deleatur. diſp. 6. theſ 9. lin. 7. pro ſane leg. ſanæ. theſ. 11. lin. 11. pro beatos leg. beati. theſ. 42. lin. 12. pro inſtar anguillarum leg. non aliter ac anguillas lin. 24 pro convivù leg. convivijs theſ. 51. lin 2 pro venire leg. venere. diſp. 7 pro moram leg. morem theſ 32. lin 8. falſas, adde merces. theſ. 33. pro obnorum leg. bonorum. diſp 8. theſ 8 lin. antep. pro renumerandi leg. remunerandi. diſp. 9. ſect. 1. theſ. 1. lin. 8. pro derivationi leg. derivatione theſ 2. lin. 4. pro at leg ad theſ. 7. lin. 25. pro non leg. noli theſ. 8. lin. 16. pro Henrici Gatti leg. Henrico Gatto ſect. 3. theſ. 8. lin. 4 pro as lege ad lin. 11. pro preminus leg. preminus theſ 9. lin. 4. pro Edæmon leg. Eudæmon. diſp. 10. coroll. lin. 37. pro caliditate leg. caliditatem lin. antepen pro ſit leg. ſi diſp 11. theſ. 5. lin. 4. pro ac leg an. Cætera tenuiora, ut ſunt unius literæ pro alia poſitio, literarum tranſpoſitio &c. benevolus Lector ſuapte ſponte corriget.

Exercitationum Ethicarum

PRIMA

DE

CONSTITUTIONE ETHICES

Quæ

In Illustri Rosarum Universitate

PROPOSITA

PRÆSIDE

M. JACOBO GERHARDI

RESPONDENTE

ADOLPHO Hollenhagenn
Lemgoviâ Westphalo.

Ad diem 19. Julij horis matutinis.

ROSTOCHI
Typis JOACHIMI PEDANI,
ANNO M. DC. XX.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729272885/phys_0015
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729272885/phys_0016
DFG

Proœmium.

NUnquam in tantùm convalescet nequitia, nunquam sic contra virtutem conjurabitur, ut non Philosophiæ nomen venerabile & sacrum maneat, benissimè inquit *Seneca Epist.* 14. Ut enim jam sicco pede præteream Speculatricem Philosophiam, quæ intellectum humanarum divinarumq; rerum cognitione imprægnat, abstrusissima naturæ adyta patefacit, docet hominem acie mentis ad sublimia sibi viam pandere ipsumq; cælum penitrare, siderum vias excutere, mentemq; universi inquirere: Operatricem duntaxat, & quidem non totam sed partem ejus universalem ETHICAM dictam levi brachio solummodo attingamus, hui quanta *majestas*, quanta *necessitas* quanta *utilitas* in illa conspicitur! *Majestatem* cum dico profer mecum pedem, & VIRTUTIS polcritudinem contemplare, annon tam speciosa & amabilis ut improbos, ac honestatis sandapilarios in sui amorem alliciat, qui licet palam non sectentur eam, præstantiam tamen ejus optimè norunt, ac tacito amore erga illam ardent, dum quam se consequi posse diffidunt, alijs invident omnibusq; ereptam havent. Virtute discriminantur qui pares nascuntur, ac possessorem adeò clarat ut populi oculos in se veluti trahat, ut arrectis auribus & hiante sæpe ore cursum frangát, eumq; indefessa oculorum acie summâ cum jocunditate intueatur. *Necessitas* ex affectuum cum ratione discidio, quod per miserandum illum atq; iterum miserandum Protoplastarum nostrum primævam integritatem decinerantem lapsum, eheu! contraximus, æstimare licet, quod in tantùm sæpe vires sumit, ut excusso rationis freno, libero infreniq; cursu homo ad pessima qnæq; abripiatur, nisi virtutis moderamine affectus coherceantur. *Utilitatis* vero rivulos non modo in reliquas Philosophiæ partes; sed etiam in Facultatum superiorum agros derivat. In Theologia quando disceptatur de amicitia inter dissidentes in religione, de discrimine Virtutum Ethicarum & Theologicarum &c. is sane qui cognitione Ethicæ imbutus melius veritatem edissertabit, quam qui illâ caret. Jurisprudentiæ stamina parantur in

Ethica, quæ agit de actionibus voluntarijs & invitis, de justitia & jure &c. quibus illa post modum subtemen subducit, ut vere dici possit *ubi desinit Ethicus ibi incipit Iurisperitus.* Comportemus igitur ex Ethicâ in omne vitæ tempus profutura. Jacta sit alea, ultrà Rubiconem transeundum. Esto.

THESIS I.

Cum multiplex indistinctum pariat confusionem, quæ erroris mater fœcunda, & ob id ab omni cathegoriâ ac scientia excludatur, in ipso statim tractationis nostræ vestibulo, oculos vibrare oportet in vocis ἀμφιβολίαν. Sequestramus igitur à præsenti negotio generalem illam vocis Ethicæ significationem, quâ laxè usurpata notat totam Philosophiam Practicam. Stoici *enim Philosophiam in tres dispescuêre partes,* Logicam *sive* rationalem *quæ subdividebatur in Grammaticam, Rhetoricam, & Logicam specialiter sic dictam, quam nonnulli nomine partis, Dialecticam indigetant:* Physicam *sive* Naturalem, *quæ sub se comprehendit Physicam specialiter sic nominatam, Metaphysicam & Mathematicam:* Ethicam *sive* Moralem, *sub qua Ethica specialis, Politica & Oeconomica.* Plutarch. l. 1. de placit. Philosoph. Cicero l. 1. Academ. quæst.

2. Strictè *sumpta Ethica pro illâ parte Philosophiæ Practicæ quæ informat hominem ut fiat vir bonus, dicitur* ἀπὸ τοῦ ἔθους *à more seu assuetudine, parvâ immutatione factâ (nempe ε mutato in η)* Arist. 2. Ethic. c. 1. *quæ notatio à causa efficiente desumpta. Alij derivant* ἀπὸ τῶν ἠθῶν *seu à moribus qui subjectum formale sunt.*

3. Definitio *quidditativa ut rectè constituatur, ad inquirendum verum* Genus *sic progredimur. Ethica aut est habitus*

bitus speculativus aut Practicus: Non ille, (1.) quia materia circa quam, non est necessaria, sed contingens: habitus theoretici vero versantur circa res quarum principia aliter se habere nequeunt ut patet ex 6. Eth. ubi Philosophus ex divisione rerum in contingentes & necessarias habituum divisionem instituit in Speculatrices & Operatrices. (2.) quia finis Ethicæ non est cognitio sed actio: licet enim habitus practici etiam speculentur ut diserte docet Arist. 2. Met. cap. 1. Zabar. lib. 5. de N. L. cap. 13 tamen hoc faciunt propter operationem tanquam finem ultimum, unde etiam Operatrices habitus dicuntur & sunt, non obstante quod quis possit Ethicæ aut alteri habitui practico operam navare solius cognitionis gratia, siquidem intentio discentis non mutat naturas habituum. Hinc Thomas comment. in Boeth. de Trin. q. 1. a. 1. docet speculationem tum demum sincerè dici speculationem, quando res ipsa quæ speculationi subijcitur non est operabilis ex suâ naturâ, quando vero essentialiter & ex suâ naturâ refertur ad operationem, qualis est speculatio in Ethicâ Medicinâ &c. licet ab aliquo speculationis gratia tantum intendatur, tamen non est propriè & per se speculatio. Stat ergo Ethicam non esse habitum Theoreticum: Ergo nec Intelligentia, nec Scientia, nec Sapientia est, tot enim numerantur 6. Ethic. Nicom.

4. Habitus Practici cum bini sint Prudentia & Ars, uter horum habituum Ethicæ conveniat disputiendum. Artem vult Sagittarius in templo virtutum exer. 1. q. 1. Malè, quia definitio Artis Aristotelica, quod sit habitus cum rectâ ratione effectivus, Ethicæ non competit. Ergo nec definitum. Definitionem Luciani quam urget Sagittarius teruncij non facimus, quia non ipsam artem prout est habitus in mente, sed ejus imaginem, simulacrum, idolum, & signum in libro explicat.

Cur non hominis naturam explicat Physicus per umbræ descriptionem? Nec valet argumentum illius: Ethicæ finis est opus. Ergo est ars. *Falsum enim antecedens.* Arist. 1. Eth. c. 1. *distinguit fines in* ἐνέργειαι *operationes & ἔργα opera:* ἐνέργειαι *sunt quando agenti tantum est proposita ipsa operatio, nec cupit ex illâ opus producere:* ἔργα *sunt ejusmodi fines, quando ex actione opus* ab illâ distinctum, *propriè dicta effectione est effectum. Jam negamus Ethicæ finem esse* opus distinctum & *separatum ab actione ipsa. Mores enim sunt ipsa forma actionum quam introducit Ethica, siquidem actiones dicuntur moratæ quatenus fiunt probè, non autem sunt diversum quid ab ipsis actionibus distinctum* neq. *Relinquitur itaq. Ethicam esse Habitum Activum sive* Prudentiam.

5. *Differentia ab objecto & fine petenda.* Objectum *non est 1.* Εὐδαιμονία *ut vult* Schultetus l 1. Eth. cap. 1. *siquidem est finis introducendus, non ergo objectum recipiens. 2. neq. Virtus, quia est medium per quod operamur, non ergo objectum in quod operemur. 3. neq. homo quatenus beabilis ut vult* Sagittarius ex. 1. th. 20. *quia est remotum tantum non proximum: prout itaq. in Physicâ reijcitur Thomæ opinio statuens objectum remotum Physicæ nempe Ens mobile: ita hic &c.* Aristoteles 6. Top. c. 3. *ait peccare in definiendo, eum qui rei cui primò convenit non accommodat definitionem, & adducit exemplum hoc: Si quis prudentiam definiat hominis aut animi virtutem, non ejus partis animi quæ rationis est particeps. Annon simili modo peccat qui definit Ethicam hominem informantem virtute? Multa enim sunt in homine circa quæ non versatur Ethica. Do operationes animæ vegetativæ, quæ neq. per se, neq. secundum usum & exercitium subjacent arbitrio & voluntati hominis, nisi forte ex accidente & indirectè, ut verè docet* Perer. l. 1. Phys. c. 2. *Frustra*

igitur

igitur his regulas præscriberet Ethica. Proximum itaq; objectum inquirendum quod sunt actiones hominis liberæ (ens materiale) prout honestum in genere in illis refulgere debet: (ens formale.) Probatur: Ethica versatur in compositione morum cujusq; hominis. Mores autem nihil aliud sunt quam modus quidam actionum, nempe honestas.

6. Finis duplex est internus & externus. Internus qui respectu externi medij rationem obtinet est hominem polire moribus, sive informare virtutibus. Externus est summum hominis bonum, non Theologicum, non contemplativum, sed civile & practicum, de quo variæ semper fuêre sententiæ, adeo ut Varro fateatur suo tempore 288. Philosophorum de summo bono numeratas opiniones, referente Augustin. l. 19. de C. D. c. 19.

7. Fons & scaturigo tantæ discrepantiæ, est diversitas in vitæ genere quod quisq; sectatur. Avarus Euclio nummis inhians fælicitatem ponit in divitijs & cum eo totum genus χρηματιστὸν: Voluptuosus eandem collocat in voluptate, unde Philoxenus eo dementiæ pervenit ut sibi collum gruis optaret, quò majorem in bibendo percipere voluptatem. Ambitiosus honorem summum bonum judicat: contemplator speculationem &c. quæ & aliæ opiniones hêc rectæ rationis molortho examinandæ.

8. Fælicitatem non esse sitam 1. in divitijs probatur, 1. quia violentæ sunt & per fas nefasq; corraduntur sæpè, quod de summo bono dici nequit. 2. summum bonum est propter se expetibile; siquidem implicat contradictionem in adjecto, esse summum & tamen habere superius propter quod appetatur, sic enim non est summum. At divitias appetimus propter usum sunt enim instrumenta: instrumentorum autem tota vis consistit in usu, ad quem ex suâ naturâ ordinantur, unde etiam divitiæ ab usu Græcis dicuntur χρήματα. Ergo. 3. Summum bonum est

diffi-

difficulter mobile, δυσφώρευτον. Divitiæ verò cunctis fortunæ novercantis telis sunt expositæ, in quas si spicula quatit & jaculatur, facill. mè possessorem illis privare potest.

9. Nec II. in corporea voluptate fælicitas collocari potest, *quam sententiam affricant* Epicuro *Stoici quos magno numero sequuntur Postillatores tum effectivi, tum usurpativi, qui ingenti ac penè stentoreo clamore Epicurum summum bonum in voluptate corporea collocasse ad ravim usq; clamitant, adeoq; homines voluptati deditos, Epicuri sectatores sive Epicuræos indigetant, à quibus merito abeunt qui non credunt nimium cuilibet rumori, quos inter* Picolhomin. grad. 8. cap. 10. Rev. & Clar. Dn. D. Conradus Aslacus Theol. Profess. Publ. in Regia Danorum Academia in Ethic. Christian. problem. antepenult. *Nam teste* Laertio lib. 10. mihi p. 597. & seq. *Epicurus aquâ & cibario panè contentus fuit, dixitq; ipse* in epist. *mitte mihi casei Cythridi paululum, ut cum pretiosius epulari voluero possim. Idem* Laertius *paulo ante* ex 3. libro Dioclis *refert Epicuri sectatores vilissimis & simplicissimis cibis vixisse. Unde & solitus exclamare Epicurus: cui parum non sufficit ei nihil satis est, dixitq; se si opus esset, paratum esse vel de ipsa certare fælicitate, modo offam haberet & aquam, teste* Æliano lib. 4. histor. var. *Quid multis? Ipsos adversarios Stoicos puto* (*vide* Laert. libro 10. *in initio, & verbo fidem habebis*) *inter quos non infimum tenet locum* Seneca *Philosophus qui in* libro de vita beata cap. 13. *tale testimonium Epicuro perhibet: Mea, inquit, quidem ista sententia est* (invitis hoc nostris popularibus dicam) *sancta Epicurum & recta præcipere, & si propius accesseris tristia.* (*de meis addo si tristia, quomodo voluptuosa? annon tristis dolor voluptati contrarius? Nemo negabit nisi qui cerebrum in calcaneis gestet.*) *Voluptas enim illa ad parvum & exile*

exile revocatur: & quam nos virtuti legem dicimus, eam ille dicit voluptati. Jubet illam parere naturæ. Parum est autem luxuriæ quod naturæ satis est. Itaq; non dico quod plerique nostrorum (subintelligeStoicorum) sectam Epicuri flagitiorum magistram esse, sed illud dico, malè audit, (sc. Epicuri secta) infamis est, sed immerito. *Demum à calumnia Epicurum liberat* Atheneus *in epigrammate illo quod heîc adscribere operæ pretium duco & ita sonat:*

Quis furor ô cives, ut vos ob vile lucellum
Rixas & bellum sollicitetis atrox?
Nam natura opibus facilè est contenta pusillis:
Contenta nullis ambitio est opibus:
Hoc Epicurus ait, dulces quem nempe Camænæ
Aut Suadæ tripodes edocuere sacri.

Rectius itaq; veriusq; qui Epicurei nuncupantur Aristippiæ *ab* Aristippo *(de quo vide* Laert. lib. 2.*) voluptuario indigetantur, contra quos probamus summum bonum in voluptate corporea minimè consistere. Nam (1) notari volumus non esse quæstionem institutã de quolibet bono, sed de bono hominis eoq; summo h. e. quod* soli homini *competit adeoq; domesticum illi ac proprium At voluptatem habemus communem cum brutis. Ergò. 2. Voluptas non est bonum constans ac stabile. Tolle fundamina & speciosa corruent ædificia. Tolle Fortunæ bona nec Voluptati erit locus, sed fulcris destituta collabascet. 3. Quid? summum bonum non producit malum. At voluptatem sequitur mare malorum. Hoc fonte derivatur clades! hinc illæ querimoniæ, quod sanitatis naufragium patiamur, quod corpus ulceribus fœdâq; scabie ac prurigine obsitum totâ vitâ circumferamus, ac ipsius mortis, vitæ gnomone nondum verso, articulum acceleremus.*

10. Alij qui altum spirant III. Honorem summum bonum crepant *Sed falsò. 1. summum bonum propter se est*

expetibile. At honor propter aliud: volunt enim honore mactari, ut videantur viri boni, ac digitis monstrentur, dicaturq; hi sunt. 2. Summum bonum est proprium ac in nobis situm. At honos originaliter est in honorante. Ringaris licet, fremas rudasq;, tamen si te homines honore afficere noluerint, fælicitate tuâ excides.

11. Ideæ Platonicæ IV se offerunt quarum contemplationem pro summâ beatitudine Platonem venditasse author est Arist. 1. Ethic. c. 4. Ideas autem communiter explicant per communes naturas immateriales seorsim existentes, secundum quarum imagines omnes res à Deo productæ, breviter per ideas intelligunt universalia ante multa, quanquam Fernel. lib. 1. de abdit. rer. caus. cap. 10. Casus lib. 1. Spec. Moral. cap. 6. Dn. Doctor Aslacus in Ethicâ Christiana problem. 8. & alij dicant Aristotelem Platoni injuriam facere Platonem intelligere ideas in mente divina, quales ideas & nos agnoscimus, ac dicimus cum Augustino; qui negat tales ideas, ille ait Deum irrationabiliter fecisse quæ fecit. Sunt itaq; verè in mente divina imagines, ideæ, exemplaria omnium rerum, secundum quæ exemplaria Deus cuncta effecit ac produxit, quemadmodum artifex secundum illud exemplar quod est in intellectu suo effectum producit. Hæ ideæ non sunt in Deo objectivè h.e. non sunt ipsæ creaturæ in esse cognito sive quatenus objectæ sunt intellectui divino, sed sunt in eo subjectivè ac formaliter adeoq; Deus per suã essentiã habet tales ideas: breviter, ideæ in Deo nihil aliud sunt quã sapientia ejus & omniscientia. Vide Suar. disp. 25. Verũ quocunq; modo explicetur opinio Platonis, tamen in Ethica pro summo bono ideæ venditari nequeunt. Non secundum priorem explicationem, quia tales ideæ ac universales naturæ separatim alicubi existentes in rerum natura dari inficiamur. (1.) quod est alicubi illud est singulare,

gulare, cum conditiones individuantes sint esse hic, hoc, & nunc. (2.) quicquid existit separatim illud est singulare non universale, Ergo si communes illæ naturæ alicubi separatim existunt non sunt universales. Neq; etiam secundum alteram explicationem ideæ in Ethica sunt summum bonum, quia quæstio est instituta de fælicitate practicâ non contemplativâ. Ethica enim tanquam disciplina operatrix non agnoscit pro fine contemplationem sed πξάξιν. Adde quod ideæ seu exemplaria divina nequeant in se conspici, nisi Deus videatur intuitivè. At in hac vita nostra cognitio & visio Dei non est intuitivâ sed tantum ænigmatica.

12. Stoici V summum bonum in virtutis habitu *collocant.* At non satis commodè. 1. *Summum bonum & ultimus finis hîc idem sunt. Ultimus finis autem est per se optabilis, nec est propter ulteriorem, aliàs non esset ultimus.* At virtutis habitu posterior est actio, & propter hanc, habitum comparamus. Ergo habitus virtutis non est summum bonum. 2. *Summum bonum est perfectum, cui nulla perfectio ulterior addi potest. At habitui addi potest operatio tanquam actus secundus; operatio autem est perfectio formæ, unde etiam non absurdum est formas dicere potentias, quantum scilicet perficiuntur per actus, quod fit dum constituuntur operantes.* 3. *Habitus potest esse in dormiente quem tamen non dicimus fælicem, nec infælicem practicè: unde in somno probus ab improbo dignosci nequit.* 4. *Talis est finis Ethicæ constituendus qualem natura ejus requirit. At Ethica quæ est disciplina operatrix postulat finem operantem. Ergo otiosus habitus non est finis ejus sed operatio potius.*

13. *Regiam itaq; veritatis viam hic prensat* Aristoteles *fælicitatem ponens* in exercitio & operatione Virtutis ex habitu profluente, *unde ab eodem definitur:* Beatitudo *est operatio animæ rationalis secundum virtutem optimam & perfectis-*

fectissimam in vita perfecta 1. Ethic. c. 6. Mag. Moral. c. 4. *cujus definitionis singula verba sigillatim perpendenda.*

14. *Primo dicitur* operatio *quod probatur* (1.) *quia summa felicitas practica est summa hominis perfectio. At actio insequens habitum virtutis est talis. Ergo.* (2.) *Summum bonum debet esse* οἰκεῖον *domesticum & soli homini proprium. At actio virtutis est ejusmodi Ergo.* (3.) *Summum bonum est* αὐτάρκης *seipso contentum* 1. Eth. 5. *neq; aliud extra se quærit bonum, sed in seipso perfectum est. At actio virtuosa talis est. Ergo.*

15 *Dicitur* (2.) animæ, *quâ voce innuitur subjectum quo, aliàs totus homo est subjectum* quod (3.) *additur* rationalis, *siquidem vegetantem animam communem habemus cum plantis; nunc autem proprium quoddam est quod quæritur, unde nutriendi augendiq; vita omnis separanda inquit* Arist. 1. Eth. 6. *animam autem sentientem, cum brutis, equo asino, bove, habemus communem; ideo neq; bovem neq; asinum aut quippiam aliud animal felix appellamus cum nullum ex illis talis operationis particeps esse possit* Arist. 1. Eth. c. 10. (4.) *additur* ἢ μὴ ἄνευ λόγου vel non sine ratione, *quibus verbis innuit summum bonum non esse in solo intellectu, sed etiam in appetitu sensitivo (in eo enim virtutes morales hærent) qui licet ex se sit irrationalis & nobis communis cum brutis, tamen quatenus hic appetitus in homine reperitur à ratione dirigitur, illiq; subest, & sic fit particeps rationis. Docet hoc* Aristoteles 1. Eth. cap. ultimo, *ubi dicit animarum quandam esse omnino irrationalem, quæ nullo modo cum ratione communicat ut anima vegetativa; quandam omninò rationalem ut intellectum; quandam deniq; medio modo se habere, ut anima sensitiva, quæ particeps quodam modo rationis est, quatenus ipsi obedit, imperioq; ejus obtemperat. Et sic summum bonum manet homini domesticum licet sit in appetitu sensitivo, quæ pars animæ homini communis cum brutis, quia appetitus par-*

ticeps

ticeps rationis soli homini proprius est. Vide etiam Picolhom. grad. 1. cap. 14. *pulchrè differentem.*

16. *Dicitur* (5.) Secundum Virtutem optimam & perfectissimam. *Per hanc virtutem alij intelligunt Prudentiam. Malè, quia felicitas consistit in actione Virtutis. At actio illa virtutis non est Prudentiæ nisi tanquam remoti principij,* proximè *autem prodit ex proprio aliquo virtutis habitu, ut ex temperantia, fortitudine &c. Alij intelligunt justitiam universalem quibus dicam non scribimus, cum illa à virtute realiter non sit diversa, sed omnes Virtutes morales includat. Nam cum hic attendatur finis communis non singularis, totalis non partialis, universa quoq; beatitudo hic definita non pars: si hoc, utiq; non unica partialis, sed quælibet virtus intelligi debet. Quoniam vero pari gradu omnes virtutes in uno subjecto non sunt, ab illâ denominatur beatus quæ est perfectissima, siquidem à potiori fieri solet denominatio* Vide Meisn. de summo bono c. 1. q. 13.

17. *Denig;* (6.) *adjicitur in* vita perfecta *quæ requirit* 1. ætatem maturam *siquidem ad felicitatem requiritur rationis usus ac judicium ut secundum virtutis normas agere possimus. Ideoq; puer non est felix, nondum enim ad tales res agendas per ætatem idoneus est, inquit* Arist. 1. Eth. c. 10. *Quod tamen non acceptandum simpliciter, siquidem potentiâ sunt felices, licet non actu, propterea quia rationis usu destituuntur. In bruta vero nullo modo cadit felicitas quia nec potentia nec actu sunt rationalia.* 2. temporis durationem: *Ut enim neq; unus dies neq; una hirundo facit ver: ita quoq; beatum hominem neq; unus dies neq; breve aliquod tempus efficiet,* Arist 1. Eth. 6. Confer. 1. Magn. Moral. c. 4.

18. *Cum summo bono individuo nexu est conjuncta* voluptas animi *quæ subse comprehendit* conscientiam *de honestis actionibus, ubi quis novit se rem benè & rectè egisse, unde animus redditur tranquillus, summumq; gaudium exoritur.*

Hinc etiam beatum à verbo χαίρειν quod est gaudere μακάριον nominarunt 7. Eth c. 12. *Non autem sequitur Felicitatem Voluptas tanquam finis ulterior & bonum aliquod perfectius, sed tanquam affectio propria & signum ejusdem: neq; expetitur voluptas propter se, sed data est ex primariâ intentione Naturæ operationum gratia, ut scilicet agentia suaviùs & promptiùs munia sua obeant: quemadmodum sal non propter se sed ad condiendos cibos adhibetur. Itaq; voluptates si ordinatè & ex primarij illius instituti regula appetuntur, non propter se sed propter actiones quæruntur, ut rectè docent* Dd. Conimb. disput. Ethic. 3. q. 2. art. 4.

19. *Famulantur felicitati* bona instrumentalia, *quæ vel* interna, *ut bonum vitæ nempe* Libertas, *& corporis ut* Sanitas *cui subordinatur* pulcritudo; *vel* externa *ut bonum possessionis videlicet* divitiæ, *& dignitatis ut* honor, gloria, fama *&c. Nam licet hæc bona non requirantur ad felicitatem* necessitate absolutâ *tamen* necessitate expedientiæ, *& licet non* ad essentiam, *perfectionem intrinsecam & essentialem, cum summum bonum sit* αὐτάρκες *seipso contentum, requiruntur, tamen ad existentiam ac splendorem majorem, adeoque sunt felicitatis ornamenta quæ si absunt* accidentalis perfectio *nempe splendor tollitur, non ipsa beatitudo. Hoc clarè docet* Arist. 1. Ethic. c. 9. *inquiens: Videtur felicitas etiam externis bonis indigere. Fieri enim non potest vel* non facilè *fit, ut cui necessaria desunt is bona atq; honesta agat. Multa etenim per amicos, & divitias & civilem potentiam quasi per* instrumenta *quædam aguntur. Quibusdam vero privati nonnulli, ut nobilitate, bona prole, pulcritudine, felicitatem* maculant. *Contraria mens est Stoicis.* Vide Sen. epist. 66. Lips. in Manuduct.

20. *Antequam hinc discedamus quæstio hæc discutienda:* An beatitudo cadat in hominem ante mortem? *Ad quam ansam præbuit Solon qui interrogatus à Cræso, Quis ei videretur*

tur

tur felix ? primas tribuit Tello quod filios haberet honestos ac bonos, & pro patria bella gerens splendidè obijsset : secundas vero tribuit Cleobi & Bitoni quod bobus destituti, ipsimet jugum subeuntes matrem plaustro ad templum traxerint. Hoc cum Cræso stomachum moveret ac bilem in nares concitaret, Solon dixit : neminem felicem judicandum ante obitum. Herodot. lib. 1.

21. *Affirmativa tamen nobis cũ* Arist 1. Eth. 11. *arridet, ubi tamen primo distinguimꝰ inter* esse *felicẽ, &* denominari. Esse *felix ante mortem quis potest imò debet, siquidem hic sermo est de felicitate civili & practicâ quæ consistit in exercitio virtutis, quod homini in morte denegatur in vitâ conceditur. Breviter, operatio secundum virtutem cadit in hominem ante obitum. Ergo & felicitas. Neq; hic objici potest Fortunæ inconstantia, siquidem beatus est τετράγωνος, interritus in periculis, inter adversa ridens, in tempestatibus æquè ac in malaciâ placidus semperq; sui similis.*

22. Denominari *felix quoq; potest probabiliter, non vero certò & apodicticè 1. quia signa ex quibus felicem judicamus & pronunciamus non sunt demonstrativa & infallibilia, siquidem etiam viri boni suas habent simias, facta eorum quoquo modo imitantes, in quibus tamen non est principium felicitatis, nempe habitus virtutis, ipsaq; operatio non est verè honesta cum fiat gloriæ ergò. 2. quia felicitas requirit tempus diuturnum ad finem vitæ : At quis certò novit hunc vel illum actionem virtuosam eousq; continuaturum ?*

23. *His præmissis integra definitio constrtui potest talis :* Ethica est Prudentia liberas hominis actiones virtutis dirigens, ad consequendam felicitatem in hâc vitâ civili. *Quæ definitio absoluta est non respectiva : etenim licet Ethica sit pars Philosophiæ Practicæ ficq; respectum habeat ad totum, tamen non impedit quo minus absolute definiatur ut Physica, Metaph. &c.*

24. *Restat jam* Divisio *indaganda. Trita est quæ passim circumfertur divisio in δαιμονολογίαν & θεολογίαν ; at non satis bona. Nam 1. divisio debet fieri per ea quæ toti sunt intrinseca non autem per extrinseca At finis Ethicæ est extrinsecus, siquidem illum intendit, & media ad illum ordinat. 2. Finis quâ finis pertinet ad præcognita, unde nulla disciplina dividitur in finem & in media, quia finis non est de ipso corpore disciplinæ. Logica v. g quæ maximam cognationem habet cum disciplinis practicis, non dis-*

scitur

spescitur in Veritatem quæ finis; & Syllogismum qui medium est tanquam in partes, sed sine præcognito dividitur in partem Communē, *quæ agit de materia Syllogismi tam remotâ quam proximâ nec non de Syllogismo in genere ejusq; affectionibus communibus; & deinde* in Specialem, *quæ Syllogismi species pertractat. Eodem modo Ethicam dividimus in partem* Generalem *quæ agit de principijs Virtutis, ipsa Virtute in genere ac gradibus nec non divisione ejus: & in* Specialem *quæ de Virtutibus in Specie.*

25. *Fundata est hæc divisio in ipso Aristotele, qui post doctrinam de summo bono egit de objecto Ethicæ nempe de anima* cap. ult. lib. 1. Eth. *quod non fecisset nisi finem ad præcognita retuliſſet. Malè enim ageretur tunc demum de objecto postquam una pars jam absoluta, de objecto enim in præcognitis aliquid prælibandum. Unde apparet quod totus liber primus Ethicorum sit proœmialis, quod nemini mirum videri potest, qui perpendit dispositionem librorum Metaphysicorum, inter quos non unus duntaxat, sed quinq; secundum nonnullos vero sex priores sunt præparatorij & proœmiales.* Vide Suaretz. Cornel. Martini & alios.

ADDITAMENTA.

1 *Juvenis auditor Ethicæ non tantum esse potest sed debet, idoneus vero auditor non omnis est; qui vero* mento *saltem non autem* mente *juvenis omninò idoneus est.*

2. *In Ethica quoq; dari demonstrationes, neq; ab Aristotele unquā negatum, neq; à veritate deviat, quanquā ab illo & ab hâc alienū sit statuere, in illâ accuratas & exquisitas demonstrationes inveniri, quæ utramq; habeant necessitatem & subjecti & causæ.*

3. *Alucinatur* Timplerus lib. 1. c. 2. Eth. *definiens Ethicam quod sit doctrina modum probè honestèq; vivendi explicans. Accidentale enim est habitui Ethico docere adeoq; doctrina, siquidem multi sunt Ethici qui alios non docent; iccirco doctrinam esse, separabile est ab Ethica: Ergo non est genus ejus, utpote quod suæ speciei accidens esse, & ab eo separari nequit, ut norunt tyrones ex Logica.*

4. *Materiam primam, neq; quid, sive substantiam, neq; quantum, neq; quale, neq; aliquid aliarum Cathegoriarum esse verissimè pronunciatum ab Aristotele: neq; tamen prima rerum materia est purum putumq; cerebri humani figmentum & plane nonens sive nihil. Quomodo enim posset esse subjectū transmutationis si nihil esset?*

5. *Mundum, Solem, Lunam &c. esse individua vel sensus docet, de illis quoq; directè agit Physica, neq; tamen propterea desinit esse propriè dicta scientia, siquidem definitio Scientiæ Aristotelica nihilominus ei ex asse competit.*

6. *Cerasa, pruna recentia, similesq; fructus horarios sub exordium potius prandij cænæq; quam sub finem esitanda esse, non caret ratione Physica.*

7. *Butyrum quoq; utpote stomachum lubricans laxansq; rectius cænas prandiaq; inchoat quam finit; Impedit enim in fine sumptum arctam oris ventriculi conjunctionem sicq; liberum transitum ad caput vaporibus permittit, ipsaq; concoctio minus dextrè perficitur aperto ventriculo, caloreq; tū* extensivè *tū* intensivè *deminuto.*

8. *Polos rationis entia esse, quorundam deliramentum est, æquè falsum, quam hoc, Cælum, stellas &c. esse rationis entia.*

Exercitationum Ethicarum

SECUNDA

DE

PRINCIPIIS VIRTUTUM MORALIUM

Sive actionibus voluntarijs earundemq; requisitis

PROPOSITA

In Inclutâ Rostochiensi Academiâ

PRÆSIDE

M. IACOBO GERHARDI
Colb. Pom.

RESPONDENTE

JOHANNE ab HOLSTEIN
Cœffeldiensi Westphalo.

Horis locoq; consueto, ad diem 23. Decemb.

ROSTOCHI
Typis exscripsit Joachimus Pedanus,
ANNO M. DC. XX.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729272885/phys_0031
DFG

Thesis I.

Moralis Philosophiæ caput est, ut scias quibus ad beatam vitam perveniri rationibus possit, inquit Apulejus lib. 2. de dogmate Platonis. *Ideoq; postquam de scopo, ad quem collimandum, sive de felicitate constat, in quonam illa sita, de medijs quibus eò pervenire possumus nunc cogitandum.*

2. *Consequimur autem practicam* beatitudinem, *de quâ solâ Ethicus est sollicitus*, per virtutem moralem, *quæ concordem sibi, quietum, constantem etiam facit eum, cui fuerit fideliter intimata, non verbis modo sed etiam factis secum & cum alijs congruentem, quod fit si Ratio in regni sui solio constituta, Appetitus & Iracundias semper domitas & infrenis habet; ipsiq; ita obædiunt, ut tranquillo ministerio fungantur*, Apulejus loco citato.

3. *Virtus porro moralis, prout res omnis sui conceptus ac generationis agnoscit principia, eaq; diversa à principijs virtutis intellectualis. Hæc quia in solo hæret intellectu, à quo & augustum adepta est nomen, ex doctrina habet & generationem & incrementum: Illa vero quæ moralis dicitur, ex more & assuetudine. Nam quæ ubi didicerimus facere oportet ea faciendo discimus, sicuti enim ædificando ædificatores, citharâ canendo citharædi efficiuntur: ita quoq; justa agendo justi, temperantia temperantes evadimus*, Arist. 2. Ethic. cap. 1.

4. *Licet enim ad omnem habitum & sic etiam ad virtutem prævia requiratur notitia & cognitio, cum Voluntas in-*

volitione rectâ semper præsupponat judicium intellectus; Imo cum nemo rectè & virtuosè agere possit, qui rationem modumq; agendi non callet, (quomodo enim, e. g. temperanter viveret, fortiter pugnaret &c. qui ignorat temperantiæ ac fortitudinis leges, mediocritatem in quâ hæ virtutes consistunt determinantes?) tamen in tali cognitione non est subsistendum sed secundum illam operandum.

5. Docet hoc Aristoteles 2. Eth: 3. inquiens non agendo hæc, ne futurum quidem est, ut bonus quispiam evadat. Pleriq; tamen cum hæc non agant, ad disputationem confugiunt, putantq; ita se probos futuros: qui sanè perinde faciunt atq; ægrotantes, qui cum Medicos diligenter audiant, nihil tamen eorum quæ ab ipsis mandantur efficiunt; Sicut igitur neq; illi corpore unquam benè valebunt, dum ita curantur; sic neq; isti animo dum ita philosophantur benè habebunt, Et 2. Ethic. c. 2 ait: quoniam præsens tractatio non est speculationis gratia, quemadmodum aliæ (non enim fit ut cognoscamus quid sit virtus, sed ut boni efficiamur, alioquin nulla ejus esset utilitas) necesse est ut de actionibus, quomodò agendæ sint consideremus, siquidem in eis sita vis, ut habitus quoq; præditi qualitate quâdam reddantur, hoc est, ut habitus sit talis vel talis, nempe Temperantia, Fortitudo, Justitia, &c.

6. Quales itaq; debent actiones esse ex quibus virtutes morales producuntur? Respondet Aristoteles 2 Eth. c. 1. illas debere esse similes siquidem ex actionibus justis non generatur Fortitudo, neq; operationes fortes producunt habitum justitiæ. Ex similibus itaq; operationibus habitus fiunt, unde illas qualitate quadam præditas esse oportet, cum ex earum differentijs habitus quoq; differentias consequantur.

7. II. Debent constare mediocritate. Nam principiata

cipiata sequuntur naturam principiorum. Ergo si actiones mediocritate carentes habitum virtutis possent producere, sequeretur virtutem non esse mediocritatem. Effectus sane nunquam excedit virtutem suæ causæ; ideoq; impossibile est, operationes vel in defectu vel excessu consistentes, habitum virtutis posse producere.

8. Sicut itaq; in viribus & sanitate conspicimus, quod quæ nimium excedunt modum exercitationes, & quæ item deficiunt vires corrumpant, simili modo potus & cibi nimis vel copiosi vel tenues sanitatem; moderata vero omnia, & faciunt, & augent & conservant. Idem quoq; in Temperantia & Fortitudine aliisq; virtutibus fit. Qui enim omnia timet ac fugit, neq; quicquam sustinet ignavus: qui contrà nihil omnino timet, sed omnia adit audax efficitur. Arist. 2. Eth. cap. 2.

9. Ex hujusmodi itaq; actionibus fabricatur habitus cujus signum est voluptas & ægritudo quæ facta subsequitur. Fluunt enim vicissim ex habitu similes operationes, ideoq; prout vires corporis ex multi cibi sumptione, tum ex multis laboribus sustinendis comparantur, & utraq; præstare maximè omnium robustus potest: ita in virtutibus idem contingit: ex eo enim quod abstinemus à voluptatibus efficimur temperantes, & effecti temperantes maximè abstinere à voluptatibus possumus: pari ratione in fortitudine assuescendo formidanda contemnere, & sustinere, fortes efficimur; effecti vero maximè sustinere ac pati terribilia possumus. Qui autem à voluptatibus corporis abstinens, gaudet, temperans; qui vero dolet intemperans existimandus: qui item sustinet terribilia, & vel gaudet, vel certè non dolet fortis, qui autem dolet ignavus est. Arist. c. 2.

10. De discrimine harum operationum quæstio agitari

solet, an actiones habitum insequentes à præcedentib⁹ differant realiter & specie, an vero tantum gradu? *Pro specificâ differentia pugnat* Picolhom. grad. 2. cap. 10. *aliquot rationibus quæ ibi videri possunt. Nos argumentum*, *quo jam antea in hac materia usi sumus, iterum examinandum producimus estq; tale: Actio pure naturalis specie distincta est ab artificiali, siquidem Natura & Ars specie distinguuntur. At actio præcedens habitum est purè naturalis, siquidem à nudâ hominis voluntate absq; habitu producitur; quæ autem sequitur est artificialis fluens proximè ab habitu. Ergò inter se differant specie.*

11. *Ne autem quis hîc cavilletur, monemus nos sumere vocabulum* artis & artificialis *in laxâ significatione, prout opponitur* naturæ, *non vero reliquis habitibus, adeoq; pro omni eo quod non inest à naturâ, sive pro omnibus habitibus, prout ita hanc vocem sumit* Aristoteles 2. Physicor. 1. *ubi naturalia ab artificialibus discriminat. Simili modo* naturale *late usurpamus non pro eo quod opponitur* voluntario, *sed* artificiali, *quomodo etiam actiones voluntarias inter naturales numerare solent.*

12. *Cum itaq; actiones sequentes habitum & præcedentes agnoscant specie distincta principia, primo quidem specie inter se differunt, ex quo secundo fluit quod etiam qualitate propriâ varient. Nam sequentes actiones sunt* virtuosæ, *antecedentes* non virtuosæ: *unde & illæ efferuntur* adverbialiter *dicunturq; fieri* benè, justè, temperanter, fortiter: hæ *autem duntaxat* nominaliter *quod sint* bonæ, justæ, temperantes, fortes *&c.*

13. *Pulchrè declarat hoc* Arist. cap. 3. lib. 2. *ubi talem movet objectionem quomodo scilicet dicamus, justos justa agendo, temperantia temperantes effici oportere, siquidem si*

agunt

agunt jam justa & temperantia justi jam sunt & temperantes. Respondet Philosophus distinguendo inter justa agere & justè agere, idq; declarat simili ab artibus sumpto. Nam potest aliquis Grammaticum aliquid facere, vel ex fortuna, vel alio suggerente (prout ita Coridon, item ancilla latina aut græca loqui possunt) qui non est dicendus Grammaticus, sed tunc demum erit Grammaticus, si & grammaticum aliquid & grammaticè faciet, hoc est, ex Grammatica arte quæ in eo est. Ita in promotionibus Doctorũ audimus pueros sex vel septẽ annorum elegantissima carmina recitare, & sic poetica loqui, numquid autem propterea sunt Poetæ? Nequaquam, quia illa non proveniunt ex habitu Poetico in illis, utpote quo carent. Simili modo si fiat justa distributio à puero itemq; ab Aristide, non dicetur in puero justitia, licet utriq; sit idem finis, & actus utrinq; eandem habeant materiæ speciem, puta aurum, quia forma & essentia deest actioni, cum desit habitus atq; ipsa rectâ ratio, quæ in actione Aristidæ est, Scaliger exercit. 307. sect. 27.

14. Porrò cum actionum aliæ dignæ sint laude ac præmijs, aliæ vituperio ac pœnis, aliæ veniâ & misericordia, de requisitis operationis laudabilis ac vituperabilis & quibus ceu γνωρίσμασι quælibet actio dijudicari potest nunc agendum. Tales autem conditiones quinq; enumerantur ab Arist. 3. Eth. Spontaneum, Invitum, Voluntas ad quam refertur Liberum arbitrium, Consultatio, Electio de quibus singulis seorsim.

15. Spontaneum ad actionem bonam malamve est summè necessarium siquidem & injuste quispiam agit, & justè cum sponte agit. Nam cum invitus agit neq; injuste agere censendus est, nisi ex accidenti: accidit enim ut ea quæ agit justa vel injusta sint. Ideoq; juste vel injuste factum sponta-

neo

neo & invito definitur. Cum enim spontaneum fuerit vituperatur tuncq; etiam injustè factum. Quare fit ut injustum quidem quippiam esse possit, quod tamen nondum injuste factum sit, nisi id etiam affuerit, ut sponte factum sit, inquit noster Philosophus, Græciæ miraculum Aristoteles 5. Ethic. cap. 10. *Consentit* Paulus JCtus l. qui injuriæ, 53. ff. de furt. *inquiens maleficia voluntas & propositum delinquentis distinguit. Et Divus Hadrianus* l. divus 14. ad l. Corn. de sicar. *in maleficijs voluntas spectatur, non exitus. Ideo sublatâ voluntate omnis actus est indifferens, secundum* Baldum ad l. fædissimam 20. C. de adulter.

16. Spontaneum *itaq;* est, cujus principium in eo qui agit, particularia cognoscente in quibus actio consistit, Arist. 3. Ethic. 3. *Appello spontaneum illud, quod in sua quisq; potestate cognoscens, neq; ignorans agit, aut quem, aut quo, aut cujus, i. e. aut quem verberet, aut quare, aut cujus causa, & unum quodq; illorum non per accidens, neq; per vim; ut si quis appræhensa manu ipsius alium verberet, non spontè autem ipse id faciat. Fieri enim potest ut qui verberatur sit pater, ipse autem hominem quidem esse aut ex præsentibus aliquem sciat, patrem tamen esse ignoret inquit* idem 5. Ethic. cap. 10.

17. Ex hisce Aristotelis definitionibus patet ad actionem spontaneam duo esse necessaria 1. ut principium sit in ipso agente *tum* ratione dominij *tum etiam* ratione directionis *ideoq; illa quæ alieno jussu agimus non videntur esse purè spontanea, e. g. cum servus mandata heri, legatus Principis jussa exequitur, quia talis actio directioni servi aut legati non subjacet.* 2. ut omnia particularia in quibus consistit actio *h. e.* omnes circumstântias cognoscat. *Ignorantia itaq; actionis ipsius an sit bona malave, licita vel illicita, ut in*

hac

hâc vel illâ academiâ gestare gladium; cum provocante ad duellum (quod inter studiosos familiare) congredi ac digladiari: item circumstantia loci, ut an licitum in foro alicui colaphum infringere, an in navi ad pontem alligatâ bombardam explodere: item circumstantia temporis, ut an concessum tempore nocturno cum bombardâ incedere, &c. Quæ omnia quia cognito contrario nempe invito redduntur clariora quidnam invitum sit videamus.

18. Aristoteles invitum *definit* quod aut vi aut ignoratione efficitur 3. Ethic. Nicom. cap. 1. *Prout enim duplex principium actionis spontaneæ notitia intellectus, & Appetitus: ita è contrario duplex principium actionis invitæ ignorantia & vis, hâc ligatur & impeditur libertas appetitus, illa notitia intellectus unde gemina invita actio, una* violenta, *altera* ignorans *sive* imprudens.

19. Violenta *actio vel est* simpliciter talis, *vel* secundum quid *& dicitur* mixta. *Absolutè violenta est cujus principium est externum ejusmodi ut neq; is qui agit neq; qui patitur quippiam conferat* Arist. cap. 1. lib. 3. *Duo itaq; requiruntur ad actionem invitam ex coactione sive violentia*, I. ut principium sit externum, *in eo enim differt à spontaneâ, cujus principium est internum. Notandum autem quod principium hic intelligi debeat* primum *à quo originaliter est actio; ut quando quis à lictoribus hospitio publicitus accipitur & in carcerem trahitur, ille omninò invitè ad carcerem ambulat & actio est violenta, licet proximum ejus principium sit internum nempe locomotiva, quia illud à quo primò fluit externum est, nempe lictores à quibus cogitur ac propellitur.*

20. II. *requisitum*, ut nihil adjumenti conferat. *Hic offert sese scrupulus non exiguus qui aliquem urgere posset. Si enim absolute hæc verba accipiuntur, quod simpliciter nihil*

conferre debeat, non erit actio sed mera passio. Ponamus enim aliquem ligatis manibus pedibusq; portari in carcerem, certè ille simpliciter patitur, nec quicquam agit. Atqui hic de actionibus sermo est, quæ dividuntur in voluntarias & invitas, non de passionibus. Ergo simpliciter omne adjumentum negari nequit.

21. Ut difficultatem hanc tollamus, cum Hunnio disputat. Ethic. 5. dist. 2. thes. 4. distinguimus inter adjumentum quod facultas confert inferior & quod superior. Facultas inferior sive animalis, puta locomotiva, ab externo principio impulsa, etiamsi violentam actionem suo adjumento promoveat, prorsus tamen violenta dici debet si modo facultas superior (rationalis) non consentiat, nec inferiori actionem imperet.

22. Quæritur hoc loco, an mala quæ ex affectu ut ira aliâq; cupiditate efficiuntur sint invita & excusanda? Arist. 3. Eth. Nicomachiorum cap. 3. 1. Magnor. Moral. cap. 13. & 14. absurdum putat invita hæc existimare, ratione permotus non unâ. Nam (1.) nullum ex alijs animalibus sponte ageret; sed neq; pueri. At falsum est hoc teste experientiâ. Nemo enim cogit feras ut modo in sylvis modo in campis ambulent. Ita pueri sponte inter se ludunt &c. Jam quicquid bruta & pueri agunt ex cupiditate est. Ergo quæ ex affectibus efficiuntur non sunt violenta. (2.) non tantum mala & turpia sed etiam bona ac honesta ex affectu agimus. Numquid autem honesta sponte, turpia inviti agemus? At ridiculum est hoc dicere cum una causa utrorumq; sit (3.) absurdum est ea dicere invita quæ oportet appetere. Atqui oportet ob aliqua irasci, ut manifesta scelera, eaq; punire. Ergo. (4.) invita sunt molesta: & omne violentum est acerbum, omne scilicet quod coacti faciunt aut patiuntur, quem-

quemadmodum Evenus inquit; omnem rem necessariam molestam esse, Aristot. 2. Eudem. cap. 7. *At quæ ex cupiditate fiunt jucunda sunt, quæ non dolor sed voluptas comitatur. Ergo non sunt invita sed spontanea facta. Accedit (5.) illa esse invita quorum principia sunt externa, At cupiditates, ira, metus non sunt extra eum, qui ex his perturbationibus mala committit, sed in ipso. Ergò talia facta non sunt violenta sed spontanea.*

23. *Verum licet præcedentia sint plana, satis intricata tamen manet quæstio altera,* annon excusatione & veniâ dignum peccatum quod ex vehementi aliquâ peturbatione est profectum? *Si enim ex præcedente thesi concludendum esset, omninò dicendum foret, iram aut cupiditatem factum malum, non excusare. Nam actio mala spontanea meretur pœnam non veniam & excusationem. At in præcedentibus probatum actiones ex cupiditate & ira fluentes esse spontaneas. Ergo sequitur illas pœnâ non veniâ dignas. Verum enimvero non imbellia tela ex adverso jaculantur. Nam (1.) primi motus non sunt in nostra potestate ut vulgo dicitur, difficillimum est justum dolorem temperare* l. si adulterium §. imperatores ff. d. adult. *Ergo neq; spontanei. (2.) de ira in specie quod excuset inde probari posse videtur, quia nullus ex omnibus affectibus adeo rabidus quam ira, quæ propterea à sapientibus dicta brevis insania quod pulchrè probat* Seneca lib. 1. de ira cap. 1. *inquiens: ut autem scias non esse sanos quos ira possedit, ipsum illorum habitum intuere. Nam ut furentium certa indicia sunt, audax & minax vultus, tristis frons, torva facies, citatus gradus, inquietæ manus, color versus, crebra & vehementius acta suspiria: ita iracentium eadem signa sunt. Flagrant & micant oculi, multus ore toto rubor, exæstuante ex imis præcordijs sanguine;*

labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent ac subriguntur capilli, spiritus coactus ac stridens, articulorum seipsum torquentium sonus, gemitus mugitusq; & parum explanatis vocibus sermo præruptus, & complosæ sæpius manus & pulsata humus, & totũ concitum corpus magnasq; minas agens, fœda visu & horrenda facies depravantium se atq; intumescentium. Quid iracundi aliud (inquit Arnobius adversus gentes) quam insanire, quam furere, quam in ultionis libidinem ferri, & in alterius doloris crucem efferati pectoris alienatione bacchari? Jam subsumo: Furiosum fati infœlicitas excusat l. infans 12. ff. ad l. Corn. d. Sicar. l. pœna 9. §. 2. de l. Pomp. de paricid. Ergo eodem modo excusandus videtur iracundus (3.) primi motus antevertunt rationem quod de ira in specie docuit Poëta inquiens: Impedit ira animum ne possit cernere verum, ideoq; actio videtur esse per imprudentiam. Ergo non erit voluntaria. Ergo excusanda.

24. In hac gravissima controversiâ ut recto incedamus talo certis opus est limitationibus. Si enim calor iracundiæ in delictis promiscuè & semper, & simpliciter excusaret, nullus unquam casus incidere posset, in quo pœnæ locus relinquendus cum fere omnia delicta ex calore & impetu iræ perpetrentur, teste experientia Gail. 2. observ. 106. n. 9. Vasq 1 contr. illust. 18. n. 29. Petr. Theodor. colleg. criminal. disp. 10. thes. 4. lit. H. Prima itaq; limitatio concernit causam προκαταρκτικὴν. Nam justa requiritur iræ causa, quæ non est levicula injuria sive realis sive verbalis illa sit, sed atrox. Ideoq; si nulla, vel levis admodum, vel non satis justa causa iræ præcesserit, non est quicquam delinquenti condonandum: imo ne ordinaria quidem pœna remittenda & mitiganda. Hoc ipsum clare innuit IC. in d. l. si adulterium §. imperatores, ubi non excusat omne factum propter iracundiam, sed duntaxat

taxat illud, quod justa iræ causa præcesſit II. limitatio concernit iracundiæ gradũ; ſi nimirum fuerit talis ac tanta ira, quæ delinquentem à mente alienaverit, ordinaria pœna remitti debet. Qui enim tali ira perciti toto animo conturbantur, rationis uſu carent, loqui neſciunt, ſenſibus uti non poſſunt adeoq; inſaniunt, proinde præſumitur in ijs abeſſe dolus, & voluntas nocendi proter nimiam iracundiam, quæ tanquam furor arma miniſtrat Gail. 2. obſerv. 110. n. 34. *Immodica enim iracundia gignit inſaniam ait* Lucas de Penna in l. omnes omninò C. de decur. lib. 10. *III. limitatio pertinet ad tempus, quod pœnam ordinariam mitigat, ſi ſcilicet delictum,* irâ illa, *quæ ex juſta præcedente cauſa fluxit, & rationem turbavit,* adhuc durante & in continenti, *non vero illa ceſſante, ex intervallo admiſſum* Mynſing. reſponſ. 83. *Ceſſante namq; irâ delinquentem ad plenitudinem mentis rediiſſe conſtat ac proinde qui poſtquam iræ calor deferbuit delinquit non ex iracundia, ſed magis ex propoſito & animi deliberatione. IV. limitatio ſpectat conſequentia delicti, ſi videlicet poſtea animo ſedato illum facti pœniteat & illud ipſum revocet pœna mitiganda* Gail. 2. obſerv. 106. num. 8. *Quod enim dolorem & pœnitentiam adfert invitum eſt* Ariſt. 3. Ethic. cap. 2.

25. *Quod vero dicebatur I. primos motus non eſſe in noſtra poteſtate ideoq; mala quæ ex commotione ac perturbatione perpetrantur invita eſſe; illud non eſt ſimpliciter verum: Licet enim in ſe & phyſicè conſiderati, prout rationem antevertunt, in noſtra facultate non ſint, quomodo de poteſtate exiiſſe eum qui effreni ducitur iracundia, ait* Cicero 3. Tuſcul. qq. 1. *tamen eatenus ſunt in noſtra poteſtate poſiti, quatenus more, diſciplina, educatione diſponi & aſſueſcere poſſumus, ut non magis quam deceat commoveamur. Virtutibus*

itaq́ mature operam navare debemus, quibus cupiditatum insania præpeditur ac reprimitur, iraq́ sævitia mansuescit ac compescitur. Ad illud quod II. afferebatur iracundum esse similem furioso, respondemus per inversionem, illum eo ipso ab omni pœna non esse liberum Si enim iracundia similis furori & insaniæ, ergo non erit vera insania, cum simile non sit idem ut habet regula Logica: Ergo neq́ iracundus revera erit furiosus; unde porro sequitur, quod nec peræquè ut furiosus excusetur ab omni pœnâ, sed tantum ab ordinariâ, & nihilominus aliâ mitiori pœnâ, affici debeat, ut tum ipse tum alij hujusmodi exemplo admoniti, discant summis viribus allaborandum esse, ut dedoceant affectus furiare, ne ab illis victi ac obruti aliquid pœna dignum committant. Ad III. quo dicebatur primos motus rationem præcurrere sicq́ committi peccatum ex ignorantia, respondemus cum Aristotele *ex* 2. Ethic. c. 7. *leges etiam punire ob ignorantiam, si sibi ipse ignorationis causa quispiam fuisse videatur. At, subsumo ego, qui ex perturbatione vehementi, rationis usum antevertente delinquit, est causa ignorationis, cum per assuefactionem affectus possit temperare, ac impetum & vehementiam virtutis habitu retundere. Ergo talis ignorantia quæ ex affectu vehementiore, non liberat delinquentem ab omni pœna.*

26. *II. hic quæritur* quid sentiendum de ijs qui sibimetipsi vitiosum habitum ebrietatis, injustitiæ, contraxerunt per crebras actiones vitiosas, ut fateantur se non posse aliter agere, licet mors illis interminetur? *Invenias adeo perfrictæ frontis fures ut palam profiteantur se non posse à contrectatione fraudulentâ rei alienæ abstinere. Invenias & helluones, qui postquam quotidianis potationibus ebriositatem, vitium quam turpe! sibi anquisiverunt, semper*

per pocula crepant, illisq; carere nequeunt. Quid vero de his statuendum, numquid actiones illorum violentæ? Nullo modo, quia principium hujusmodi actionum est vitiosus habitus, qui est principium internum, quod quisq; sibi proprio jumento accersivit. Rectè noster Philosophus lib. 3. Ethic. cap. 7. quod injusti & intemperantes evadant ipsi in causa sunt, dum & dissolutè ac remisse vivunt (h. e. cupiditatibus frenum remittunt & laxant) & maleficia perpetrant, & in compotationibus talibusq; alijs libidinibus ætatem degunt. Prout itaq; sponte ægrotat, qui sibi morbum contraxit, tum intemperanter vivendo, tum præceptis Medicorum non obtemperando, licet ægritudinem ægrè ferat, & ab illa liberari anxiè cupiat, quia antea licebat ei non ægrotare, ubi autem semel neglexit, non amplius licet: & quemadmodum qui lapidem projecit, resumere eum amplius non potest, quamvis in eo emittendi ac projiciendi fuerit facultas; principium enim in ipso erat: eodem modo quoq; & injusto & intemperanti à principio licebat non esse ejusmodi, unde sponte sunt ejusmodi: ubi vero semel tales evaserunt, non amplius non esse tales illis licet.

27. Annon igitur qui delinquunt ex vitioso habitu ebrietatis, injustitiæ &c. veniâ digni? Nequaquam, sed si fur dixerit se furtum intermittere non posse, respondendum ei à Judice quod etiam non possit delictum impunitum relinquere, prout ille furi malefactum fato excusanti ac dicenti, Fato furatus sum, aptè respondit, Fato suspenderis. Simili modo habitus ebrietatis helluones non excusat sed potius delictum aggravat. Ebriosus enim & qui ex perversâ quadam consuetudine consulto inebriatur operam dat rei illicitæ adeoq; per intentionem peccat Gail. 2. observ. 110. num. 35. Unde talis hominem interficiens dupliciter peccat, ebrietatem com-

committendo & homicidium, quâ de causâ duplici pœnâ afficiendum eum statuit Pittacus, ut refert Arist. 3. Ethic. Nicom. cap. 7. 2. Politic. cap. 12. 2. Rhetor. c. 25.

28. Bene autem notandum quod diximus habitum ebrietatis, sive ebriositatem non excusare. Num Philosophi & JCti communiter distinguunt inter ebrietatem & ebriositatem, Trunckenheit & vertrunckenheit/ vel gewonheit voll zu sein. Ebrietas ex casu quodam & ignoratione, ebriositas ex habitu vitioso nascitur, inquit Gail. dicto loco. Deinde ebrietas simplex iterum distinguenda: vel enim est spontanea vel invita: hæc iterum duplex, alia ex ignorantia, alia ex violentia & coactione. Ex ignorantia est, si ille cui vis & efficacia potus, ut vini, Gnisenaci aut alterius cerevisiæ ignotæ, non est cognita, ipseq; nihil minus quam ebrietatem expectat, ebrius reddatur. Contigit hoc Noæ, ut patet ex Genes. 9. v. 21. Talis quoq; ebrietas ex ignorantia est puerorum, qui duntaxat potus saporem non inebriandi virtutem attendunt; item illius qui præter omnem spem; cavens licet ebrietatem, eâdem tamen ex improviso obruitur. Ideoq; qui ita præter opinionem inebriantur postmodum dolore afficiuntur, non quod per ebrietatem quamplurima corpori incommoda crearint, sed quod ebrietatem ipsam turpem ac novercali odio detestandam judicent. Prior illa ex ignorantia efficaciæ potus, simpliciter excusat, quia illa est princeps causa ebrietatis. Posterior quæ præter spem, si non ab omni tamen graviore pœnâ excusat. Cum igitur quis occasiones ebrietatis studiosè devitat, & tamen fortuitò nec data opera sese inebriat & ex tali ebrietate delinquit, mitissimè tractandus.

29. Violenta est quando quis cogitur ad inebriandum se. Cogitur autem quis vel à superiore vel ab æquali. A superiore, ut si potentior debiliorem, magistratus subditum,

tum cogat quod fit cum præcedit (1.) mandatum (2.) minæ atrociores (3.) nullus relinquitur locus 1. fugæ; 2 excusationi valetudinis, 3. nec deprecationi, 4. nec officij conditionem prætendere juvat, nec ulla planè elabendi rimula, curiosè licet quæsita patet. Talis ebrietas est coacta, quia primum principium est externum, & si quis ex illa peccat videtur magis in culpa esse ille qui coegit eum ad ebrietatem. Ab æquali quis cogitur cum amicus amicum ad ebrietatem urget, per amicitiam quæ dissolvitur si alter alteri examussim non respondet. Hæc ebrietas videtur quam proximè accedere ad spontaneam, ideoq; minus excusat, prout etiam illa quam quis committit persuasus & allectus ab aliquo. In utraq; enim concurrit consensus inebriantis se.

30. Postremo dividitur ebrietas in levem sive modicam, & in gravem sive immodicam enormemq; mentis exilium inducentem Enormis ebrietas quia est manifestus furor, & venter mero æstuans libidinis & furoris spumas agit c. venter di. 65. c. crapula de vit. & honestate cleric. imo quia immodica ebrietas mentem aufert, & voluntatem impedit c. vinolentum d. 35. unde etiam ebrietate adductus quid faciens impetu facere dicitur & ei qui ex proposito facit opponitur l. 11. §. 3. ff. de pæn. quapropter quoq; nemo facile cum tantoperè ebrio rixari debet, quod innuit Germanorum proverbium Man soll einem trunckenen Menschen mit einem füder Hew auß dem Wege fahren; licet facinus ex tali ebrietate commissum non impunitum relinquendum mitius tamen puniendum per l. omne delictum 11. §. 7. ff. de re milit. Mynsing. resp. 60. Certas tamen hic ponunt limitationes Dd. 1. ebrietas non sit captata & de industria accersita ut scilicet audacior fieret ad illud facinus patrandum 2. non sit simulata sed vera adeoq; talis quæ rationis usum impediat 3. ut delinquens nesciverit, se quando ebrius factus ad ejusmodi

delictum propensum esse. Nam si sciverit, nec tamen ab ebrietate abstinuerit, nullam meretur excusationem 4. ut delinquens postea sobrius factus pœnitentiâ ducatur, neq; ceu re bene gestâ gloriando de facto illud ratum habeat. Levis & modica ebrietas ne ab ordinariâ quidem pœnâ delinquentem excusat. Ratio est, quia propterea excusatur ebrius quod similis sit furioso & rationis usu careat. Atqui leviter saltem inebriatus aliquem adhuc rationis usum habet. Ergo furioso æquiparari nequit & per consequens à pœna excusari.

31. Actio invita Imprudens sive per ignorantiam est cum agens circumstantias particulares ignorat. Requiritur ad hanc actionem 1. non universalium sed particularium ignorantia, siquidem universalia quisq; scire debet & potest. Si itaq; quis interficiens hominem se excusare vellet, quod ignorasset homicidium esse illicitum, deridendus meritò foret. 2. non sit accersita; hæc enim non excusat. E. g. si civis delinquens contra leges particulares illius civitatis in qua vivit, se excusare vellet ignoratione istarum legum, non esset audiendus, quia ignorat illas per negligentiam, eò quod in ipso sit non ignorare, quippe qui adhibendæ diligentiæ dominus est & potestatem habet. Arist. 3. Eth. 7. 3. ut factum comitetur dolor & pœnitentia. Quod enim dolorem vel pœnitentiam affert videtur esse invitum. Si vero post factum non contristatur, illud ratum habet, adeoq; licet ex ignorantia factum tamen quia adprobat, pro spontaneo habendum, quod etiam facturus fuisset insciti non præoccupatus. Non omnis dolor tamen est indicium actionis invitæ, non ille qui propter pœnam insecuturam sed qui propter ipsius facti pravitatem, & quo malum perpetratum detestamur.

32. Notandum quoq; aliud esse agere ex ignorantia, & agere ignorantem. Ignorans agit quando ignorantia non est causa actionis, ut quando ebrius qui vini efficaciam

callet

callet ex ebrietate peccat, ille nescit quidem quid agat, tamen ignorantia non est princeps causa actionis pravæ, sed ebrietas quæ ignorantiam induxit; ideoq; factum non excusat, cum actionis principium sit sponte accersitum, siquidem in eo sui quisq; dominus est ut non inebrietur, id quod ignorationis est causa inquit Arist. 3. Eth 7. Ex ignorantia agit is cum principalis causa actionis est ipsa ignorantia eaq; non est nostrâ culpâ accersita, ut si aliquis vim vini ignorans inebrietur & postea peccet, excusandus esset. Distinguendum itaq; inter ignorantiam veram & simulatam item affectatam &c.

33. Demum ignorantia vel est juris vel facti seu καθόλου & καθ' ἕκαστα. Illa est quando quis ignorat illa quæ scire debebat ut sunt præcepta universalia honesti & inhonesti, justi & injusti, & hæc non excusat siquidem lata culpa est illud ignorare quod omnes intelligunt vel intelligere ac nosse debent. Ignorantia itaq; Legis divinæ & gentium, non excusat, imo neq; constitutiones speciales regionum civitatum, post promulgationem incolas excusare possunt. Hæc autem sive Ignorantia particularis est cum nos latent circumstantiæ singulares quæ ab Aristotel. 3. Ethic. 2. ita recensentur, quis (ut an furiosus an vero sanâ mente præditus, vigilans an dormiens, prout ita sæpe homicidium committunt noctambulones) quod (ut si ignoret actionem esse licitam vel illicitam,) circa quid (ut si quis Consulem aut Cæsarem in se injurium animadvertens, illumque plebeium existimans verberet) quo, ut instrumento (ut si putat mucronatam hastam esse retusam) cujus causa (ut si quis sanitatis gratia certet cum altero eumq; interficiat) quomodo (ut an percusserit graviter an leviter) Qui horum aliquid ignoraverit invitus egisse videtur, & propterea excusandus.

34. Actio mixta est quasi media inter spontaneam &

 invitam

invitam quamq; partim volumus partim nolumus, cum nempe metu majorum malorum, vel spe boni aliquid committimus, ut patet in trito illo exemplo de navita, qui in vitæ discrimine constitutus ut se ac suos servet proijcit merces, quas aliàs libentius retineret; actio hæc nautæ est invito-spontanea quia principium ex parte internum ex parte externum. Quæritur quales dicendæ actiones hæ an magis invitæ quã spontaneæ? *Magis accedere ad spontaneas probat,* Arist. c. 1. lib. 3. *quia quando aguntur eliguntur. Licet enim si absolute & in se considerantur, sint invitæ actiones, utpote quas nemo per se eligit, (quis enim absolute & per se bona sua abijcit sponte?) spontaneæ tamen sunt tum propter causam impulsivam, tum finalem, tum etiam præsens tempus, siquidem illas eligimus majoris mali evitandi aut boni alicujus consequendi gratia. Aristoteli dicuntur spontaneæ pro* tunc, *item pro* his *quia tunc illas tanquam minus malum eligimus: electio autem innuit spontaneum.*

35. *Porro actiones mixtæ sunt variæ* 1. quædam merentur laudem, *qualis illa Solonis qui ut abrogaret legem malam, indecorũ admisit ac stultitiã simulavit* Plut. in vita ejus Justin lib. 2. §. 7. 2. quædam merentur reprehensionem, *cum mala agimus exigui lucelli ergò, ut quod filiæ Lydorum omnes meretricando dotem sibi colligerent, ut se ipsæmet elocarent* Herodot. l. 1. *Ita Vejoves Romani Papæ permittunt lupanaria, ut fiscum suum annuatim per lactis censum, vulgò* Milchzinß oder Hurenzoll *locupletent.* 3. quædam merentur excusationem & veniam, *ut quod David simularet insaniam coram Achi, ut salvus evaderet* 1. Reg. 21. 4. quædam nec laudem nec veniam merentur, *ut prodere patriam, ut è captivitate libereris. Ad hæc perpetranda nemo se compelli sinat, sed potius extrema quæq; ipsam q; mortem patiatur* Arist. l. c.

36. Vo-

36. Voluntas *est boni appetitio cum rectâ ratione. Nam de voluntate prout est δύναμις ac potentia animæ rationalis agit Physica: Ethica autem tantum* ἐνέργειαν *potentiâ posteriorem considerat. Dixi esse appetionem boni, siquidem malum quâ tale nemo appetit sed aversatur Natura enim tam universalis quam particularis semper vult sui conservationem ideoq; mala quæ propterea dicuntur mala quod τὸ εἶναι destruant fugimus. An igitur duntaxat verum bonum est objectum voluntatis? Si voluntatis ἐνέργεια in genere consideretur vera est sententia Aristotelis statuentis, tam circa apparens bonum quam verum versari voluntatem. Nam si solum verum bonum appetibile, omne illud quod appetimus erit bonum. At multi appetunt homicidium, adulterium &c. quæ in se tota mala sunt, sed ijs qui illa appetunt videntur bona Ergo non tantum verum bonum est objectum voluntatis in genere. Si autem consideretur voluntatis operatio, quatenus conducit ad actiones virtutum, vera est sententia Socraticorum, quod versetur tantum circa verum bonum, cùm qui mala (licet specie boni colorata) appetit agat vitiosè, unde virtus produci nequit.*

37. Liberum arbitrium *dari probant (1.) leges politicæ quæ ad bona hortantur & à malis dehortantur. Si itaq; non esset in nobis voluntas libera ut possemus bonum eligere & malum aversari, leges essent iniquæ, utpote quæ illud postularent quod non est nostrarum virium Rectè enim dicitur, leges (intellige civiles) debere præcipere possibilia (2.) Si non datur liberum arbitrium in homine, injustè delinquentibus infliguntur pœnæ, cum aliter agere nequeant. Absurdum hoc. Ergo. Verissime itaq; concludit* Arist. lib. 3. cap. 7. *dicere neminem neq; sponte improbum, neq; invitè beatum, alterum (prius scilicet) falsum esse, alterum (posterius) verum videtur; quippe cum beatus nemo invitus evadat, improbitas autem spontanea.*

Notandum autem nos loqui de actionibus civilibus non spiritualibus; in illis diximus dari liberum arbitrium, in his servum cum Theologis agnoscimus.

38. *Non autem est liberum arbitrium* I. actus *ut placet* Hervæo quod lib. q. 1. *cum in dormiente etiam sit liberum arbitrium. At in dormiente cessat actus. Ergo Liberum arbitrium non est actus. Neq;* II. *est* potentia *à voluntate distincta sed tantum* modus. *Nam cum rem ut bonam appetit, voluntas est, cum vero potuisset non eligere, aut eligere oppositum, dicitur libera sive liberum arbitrium, sive hoc modo eligere, puta* liberè. *Voluntas itaq; est compositum quid, non ex re & re, sed ex re & modo, res est ipsa potentia, modus est quod sit libera. Conjunge utrumq; & voluntas erit potentia libera. Libertas autem cum sit multiplex, quænam hic intelligatur videndum. Est itaq; libera voluntas* 1. à coactione: *ideoq; voluntas cogi nequit cum implicet contradictionem,* voluntas coacta *quæ aliquid* nolens vellet, *&* volens nollet. 2. est libera à necessitate exercitij actus, *siquidem unico objecto proposito, actus libere elici potest, adeoq; agere vel non agere, velle & nolle possumus, unde vocatur* libertas contradictionis. *Quando itaq; dicitur liberum arbitrium eligere opposita, accipiendum hoc in sensu diviso non composito siquidem non eligit simul utrumq; sed alterutrum, idq; cum hac indifferentia, ut quod eligit reprobare, & quod reprobat eligere potuerit. Non autem est libera* à necessitate specificationis,, *siquidem ad definitum objectum, ut bonum in genere prout verum & apparens subse complectitur necessitatur & restringitur, ut malum qua tale appetere nequeat. Non itaq; est libera* libertate contrarietatis *ut vocant Scholastici.*

39. Consultatio *est de rebus agendis* Arist. 3. Eth. 5. *quæcunq; itaq; sunt agibilia sub consultationem cadunt. Exclu-*

cluduntur ergo 1. naturalia, *ut motus solû, pluvia &c.* 2. Fortuita, *ut inventio thesauri* 3. præterita, *quæ quia jam facta, mutari nequeunt,* 4. aliena *quæ ad nos non pertinent, ut Lacedæmonius non consultat quomodo Respubl. Scytarum administrari queat.* 5. Finis, *ut medicus non deliberat an velit sanare, orator an velit persuadere. Quæritur circa hanc doctrinam II* an in scientijs exquisitis detur consultatio? *Negatur, (1.) quia quæ cadunt sub scientiam non sunt agibilia. Consultatio autem est agibilium, (2.) Consultatio est de ijs quæ non semper eodem modo eveniunt. At de quibus agunt scientiæ illa semper eodem modo se habent, unde & vocantur immutabilia & æterna. II. quæritur* an in artibus detur consultatio? *Magis in artibus quam scientijs consultatio, eò quod in ipsis magis ambigere consuevimus inquit* Aristoteles cap. 5. libr. 3. *Patet hoc in arte Medicâ in cujus praxi quoties deliberandum an moderate vel summe calidis aut frigidis morbus profligi queat? &c.*

4o. Electio *est consultatrix appetitio* Arist. 3. Eth c. 2. *Voluntas enim non fertur cæco impetu in objecta proposita, verum sequitur judicium intellectus, ideoq; bonum ab eo monstratum expetit. Cum itaq; plura nobis offeruntur prius consultamus quodnam eligibilius de quo cum constat, statim sequitur electio. Electio igitur est possibilium quæ à nobis fieri possunt. Annon enim stultus dicendus qui eligeret impossibilia? Fluit hinc electionem non esse* voluntatem *quia hæc est* τῶν ἀδυνάτων, *quod indicat Poëta inquiens: O mihi præteritos Juppiter si referat annos sed nec 2. est* cupiditas *quæ homini communis cum brutis. At electio brutis non competit. Neq; (3.) est* opinio, *quia illâ nihil prosequimur aut fugimus. Sed claudamus jam rivos.*

Corol-

Corollaria.

1. Exantlare *scribitur vulgo* Exanclare *arridet* Giphanio, Mereto & Turnebo, *quorum hic*, l. 3. adverſ. c. 10. *ita: multi cenſent dicendum eſſe* antlare & exantlare, *à quibus diſſentio*, & anclare *puto eſſe* anculare *i. e. miniſtrare; unde & ancillarum nomen. Hæc ille.* Anculare *apud Feſtum eſt* miniſtrare: *inde* anculi *tanquam miniſtri*, & anculæ *i. e. miniſtræ*, & *poſtmodum flexu diminutivo* ancillæ, *ut teneræ* tenellæ, *oſculum* oſcillum, *ait* Becmannus de origin. Lat. Ling. *Idem* exanclare *probat* Pontanus, *ſed ratione aliâ, ita ſcribens:* Am *vocula fuit apud priſcos idem, quod nunc apud nos eſt* circum: *inde* amnus *quod in circulum rediret, mutata poſtmodum* m, *concinnioris ſonus gratia factum eſt* annus. *Ex* anno *vero deductum eſt* anniculus, *ab anniculo* anniculare. *Cum tempeſtate ea hominum vita eſſet agreſtior, magnæq; daretur laudi fruges ipſas poſt annum aſſervaſſe, unde perannare factum, formatum primo verbum ex anniculo, donec ex eo ſubductum fuit* exanclo *quod verbum relatum ad labores, ad pericula ad difficultates. Quid enim difficilius quam vina, triticum, poma in alium atq; alium annum illæſa perducere, ætatemq; ijs addere, quibus à natura vix aliqua eſſet data? Hæc Pontanus. Non male tamen ſcribitur exantlo, ſi deducitur à Græco ἀντλέω i. e. perfero perpetior.*

2. *Una actio non parit habitum eſt tritum, & verum etiam ſed non catholicum. Verum eſt de habitibus moralibus qui uno actu non acquiruntur. Rationem addit Thomas, quia ratio, non poteſt uno actu totam potentiam appetitivam vincere, cum ea ex vi libertatis ſuæ, tum diverſe admodum tum etiam ad multa ſe habeat. In habitibus ſpeculativis, poteſt ſcientia particularis e. g. unius concluſionis, ut* homo eſt riſibilis, *ex una ſolida demonſtratione generari.*

3. *Hominem jejunum bene paſto ponderoſiorem mirum alicui videri poteſt, cum cibus aſſumptus quoq; ſit gravis: grave autem additum gravi pondus auget: verum tamen eſſe docet experientia. Quæ vero ratio, an ſpirituum copia quæ ex cibo aſſumpto producitur? Ita plane. Eâdem de causâ corpus mortuum vivente gravius.*

Exercitationum Ethicarum

TERTIA

DE

VIRTUTE

IN GENERE

ET

HEROICA,

PROPOSITA

In almâ ad Varnum Academiâ

PRÆSIDE

M. IACOBO GERHARDI

SS. Theol. Studioso.

RESPONDENTE

JOANNE TORCHILLI

Norwago,

Horis locoq; consueto ad diem 28. Octob.

ROSTOCHI

Typis JOACHIMI PEDANI,

ANNO M. DC. XX.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729272885/phys_0055

DFG

CONSULTISS. SPECTATISSIMO
& Prudentißimo Viro

Dn. SAMUELI SKOW
Reipub. Bergenſis Senatori
digniſsimo,

Dn. Patrono ac favitori ſuo animitùs colendo, obſervando,

Hanc diſſertationem Ethicam gratitudinis & obſervantiæ ſymbolum

demißè offert ac dedicat

JOANNES TORCHILLI
NORVVAGUS

Reſpondens.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729272885/phys_0056
DFG

THESIS I.

VIrtutes hodiè vacare, & vitia esse occupatissima, qui ajunt, à veritatis tramite ne latum unguem exorbitant. Causa hujus mali non postrema est, quòd vivimus ut loquitur Seneca epist. 123. ad exempla, nec ratione componimur sed consuetudine abducimur. Quod si pauci facerent, nollemus imitari: cum plures facere ceperunt, quasi honestius sit quòd frequentius, sequimur; & recti apud nos locum tenet error, ubi publicus factus est. Ut igitur rectum iter ingrediamur, & Virtuti operam navemus, operæ pretium est Penelopen hanc suis depingere lineamentis, ut procorum concio in illam amoris impetu ruat. Ne vero nominis error quenquam decipiat, disterminanda hinc 1. illa vocis usurpatio, quâ facultates herbarum, lapidum, metallorum, virtutes indigetamus, ut Rhabarbarum est præditum virtute trahendi bilem, radix Zedoariæ pollet virtute resistendi veneno, aëri infecto, & pesti, & ab hac præservandi, in ore tenta vel sumpta &c. 2. virtus metaphorica, quæ per similitudinem brutis animantibus tribuitur: ita serpentes dicuntur prudentes, leones fortes &c. 3. inclinationes & propensiones naturales, quæ sæpe virtutis nomine veniunt, de quibus paulò post. Restat ergo habitus quem hîc per virtutem intellectum volumus.

2. Originem virtutis quâ vox, non quâ res, si quæris, communiter derivatur à viro, quia priscitùs sola Fortitudo, quæ viris duntaxat vel utplurimum competere videtur, virtutis titulo fuit clara. Numquid vero fœminas ab omni com-

mercio honestatis ac virtutis secludamus? Dura verba, quæ nonnullis vel cerebrum excutiant. Multæ hercles viros multis parasangis præcurrunt, & ad summum fastigium heroicam virtutem conscenderunt. Durandus *non durè deducit illam à vi, intelligendo non coactionem & violentiam, sed δύναμιν facultatem & potentiam. Quid enim aliud est habitus virtutis quam facultas acquisita, facilitans potentiam naturalem, ut facilè & benè operetur? unde Metaphysici statuunt finem habituum, juvare potentias naturales, illasq; reddere faciliores & promptiores ad certas quasdam & determinatas operationes.* Vide Fonsec. 5. Met. c. 5. n. 4. s. 2. Suaretz disp. 44. s. 1. num. 6. *Plures derivationes tam vocis Latinæ quam Græcæ qui desiderat, adeat* Keck. lib. 1. syst. Ethic. c. 1. Meisner. de summo bono in coronid.

3. *Ad essentiam Virtutis indagandam, primo Genus, insistentes vestigijs Philosophi* 2. Eth. c. 4. *venabimur hoc modo. In anima sunt tria tantum (subintellige actionum principia ut recte* Acciai. in comment. h. l. *adnotat: nam aliàs* 2. Eudem c. 1. Aristoteles *inter bona animi numerat, operationes & motus) (1.) Affectus, ut actualis ira, odium, amor &c. (2.) Facultates & potentiæ naturales, quibus idonei dicimur ut illis afficiamur, i. e. quibus vel irasci vel dolere possumus. (3.) Habitus. Atqui Virtus non est I.* Affectus *(1) quia insunt à natura: virtus nostra industria acquiritur (2.) quia circa affectus formandos versatur. Ergo illis adnumerari nequit, cum objectum nunquam sit genus (3.) ab affectibus per se & in se consideratis neq; boni neq; mali dicimur. At à virtute denominamur boni. II. non est* Facultas *naturalis quia propter potentias neq; boni neq; mali dicimur neq; laudamur, neq; vituperamur: nemo enim infantem laudat vel vituperat, quod benè maleve agere possit, sed quod ipso actu secundo agat. Relinquitur igitur quod sit* habitus.

Non-

Non est porro theoreticus, siquidem essentialiter ordinatur ad πρᾶξιν: neq; effectivus, cum non efficiat opus; sed activus sive practicus. Praxis enim est operatio qua quis bonus vel malus dicitur, ideoq; non latius patet quam honestum & ei oppositum inhonestum. At operatio virtutis & vitij est talis 2. Eth. c. 5. *Ergo. Num praxis sit operatio alterius potentiæ ab intellectu ut vult* Scotus, *quia instituto nostro non servit, sicco pede præterimus. consule* Suaretz disp. 44. s. 13. n. 20. Arnis. in not. ad Log. Crell. in init.

4. Annon igitur virtus inest à natura? *Negat* Arist 2. Eth. c. 1. *Virtus enim moralis inde nomen habet quod more i. e. assuetudine comparatur. Hinc* Picolho. gr. 1. c. 29. *ait, mores propterea sunt & nuncupantur mores, quod non naturâ sed more & assuetunine nobis competunt. Deinde naturalia sunt immutabilia. At virtus potest mutari in vitium teste experientia. Antecedens pulchre probat Philosophus* l. c. *Nihil inquit ex ijs quæ natura fiunt, assuescere aliter potest, ut lapis cum natura deorsum feratur, nunquam sursum ferri assuescet, etiamsi millies eum quis sursum proijciat. Neq; igitur natura, neq; præter naturam virtutes in nobis acquiruntur; sed cum idonei ad ipsas suscipiciendas natura simus, assuetudine perficimur. Hinc clarius eluescit quam radij solares sunt cum sudum est,* Aristotelem *non inficiari igniculos ac semina veluti virtutum ab ipsa natura ingenerari, cum aptitudines & propensiones ambabus ulnis largiatur & hîc, &* 6. Eth. c. 13. *inquiens: à natura justi sumus, temperantes & fortes. Confer* lib. 9. de hist. anim. c. 1. *Virtus itaq; inest à naturâ & non inest: inest quoad facultatem & dispositionem naturalem, non inest quoad habitum. Rectè item dicitur: mores animi sequuntur temperamentum corporis, nisi assuetudine emendantur ac corrigantur.*

5. *De Marteria Virtutis* ex qua *qui est sollicitus, ille*

quærit glires in Rugia, siquidem virtus est pura puta forma accidentalis nullam in sua essentia includens materiam propriè dictam sive Physicam. De materia in qua contentionis funem authores inter se ducunt, Scotus virtutem collocat in intellectu, 3. sentent. distin. 33. Contra Arist. 1. Eth. cap. ult. 1. Mag. Moral. cap. 5. eam ponit in appetitu sensitivo & cum eo Picolhom. gr. 4. c. 8. cui sententiæ ut subscribamus clarissima cogit veritas. Nam habitus proximè recipiuntur in ipsis potentijs, quia proximè ordinantur adhoc, ut potentias juvent ac promptitudinem facilitatemq; ad operandum inducant; unde sequitur virtutem in illa animæ parte habere sedem ubi sunt potentiæ & materia cui superadditur. At materia virtutis sunt affectus, quos componit & ad mediocritatem reducit, Ergo ubi affectus sedem habent ibi quoq; virtutes morales. At affectus sunt in appetitu sensitivo, non in intellectu, quod patet quia affectus cadunt in bruta, ut ira, metus &c. quæ tamen ratione carent. vide Picolh. gr. 1. cap. 7. & 13. prolixè contra Stoicos disputantem. Ergo omninò necessarium est, virtutes morales residere in appitu sensuum, ut per illas reddatur promptus & facilis ad obediendum rationi, in materia harum virtutum scilicet temperantiæ &c.

6. Non proba igitur est illatio Hunnij disp. Eth. 2. sic concludentis: Medicina est applicanda loco affecto. At intellectus per lapsum dominium in appetitum amisit, ut eum citrà virtutum adminiculum domare prorsus nequeat. Ergò virtutes sedem habent in intellectu. Regero enim dominij carentiam non esse ex parte intellectus, qui etiamnum hodie appetitui imperat, sed ex parte appetitus qui rationis imperium spernit, eidemq; reluctatur. Prout in rebellione ac dissensione subditi iniquè contra Magistratum insurgentes sunt compescendi; ita quoq; appetitus intellectui repugnans habitu com-

compescendus ac moderandus. Itaq; rectius sic infero: Illa animæ facultas, quæ reluctatur rationi indiget habitu virtutis, ut assuefiat rectæ rationi obtemperare. At appetitus sensitivus est talis. Ergo.

7. Difficultatem hèic parit, quod appetitus sensitivus non videatur esse capax virtutis moralis, cum sit irrationalis & communis homini cum brutis, in quæ habitum cadere posse Metaphysici communiter negant. Quid quod habitus non possit recipi in potentia tali quæ nullam indifferentiam habet ad diversos actus? At indifferentia & libertas non competit appetitui sensuum, propter hanc causam enim animantibus ratione carentibus habitus denegantur. Ergo. Ad tollendam difficultatem, notandum quod quædam animæ potentia sit omninò irrationalis ut vegetativa, & hæc caret omni indifferentia & libertate ac propterea nullius habitus capax: quædam omninò rationalis ut mens: quædam medio modo se habet, ut potentia animæ sensitiva in homine, quæ quodam modo rationis fit particeps, quatenus nempe à ratione dirigitur, ei subest, & obedire potest, quod Arist. claris verbis edissertat 1. Eth. cap. ult. inquiens: duplex est pars quæ rationem habet, altera propriè & in se eam habet, altera ita, ut quis dicto patris est audiens h. e. per obedientiam. Habet itaq; ratio & voluntas in appetitum imperium non δεσποτικὸν herile, quod fit cogendo sed πολιτικὸν civile quod fit suadendo, & sic potest appetitus in officio contineri. Breviter prout appetitus in homine participatione fit rationalis, ita etiam consequenter in agendo indifferens ac proinde habituum capax, qui brutis non conveniunt quia illorũ appetitus non redditur rationalis per participationem. Vide Schiebl. Met. l. 2. c. 19. art. 3. punct. 4.

8. Non tamen ex asse Intellectus à virtutis negotio removendus, sed potius dux & director constituendus. Etenim

nim rectâ ratione affectus sunt regendi, ut intra mediocritatis gyrum se contineant, qua propter intellectus indiget habitu Prudentiæ sive Ethices secundum quem veluti normam ac regulam cupiditates regit Declaramus rem simili ab arte Citharisandi petito: Prout enim qui fidibus canere volunt, prius certis præceptis animum imbuunt, juxta quæ manibus ac digitis operantur, tandemq; per crebras operationum repetitiones agilitatem in membris acquirunt: simili modo opertet intellectum præceptis Ethicæ ante omnia informare, ut secundum illorum præscriptum appetitum moderetur; & sic continuato moderamine habitus virtutum moralium introducatur, qui illum reddunt facilem promptumq; ad obtem opandum rationi. E.g. siquis addiscat cibo potuq; moderatè uti, deinde creberrimè hoc faciat, tandē temperātiæ habitū in appetitu acquirit. Hinc Scotus praxin definiens, ait illam naturaliter esse posteriorem ratione. Cur vero sic? quia ab intellectu imperatur & dirigitur, vel ut Francisc. Maro loquitur, quia est operatio regulata è ratione, quod Arnis. in not. ad Logic. Crell. latinius efferri autumat, si dicatur, operatio cui regulam præscribit intellectus ad operandum. Cernin' intellectus officium in virtutis negotio? auriga & director est, non tantum imperat appetitui sed etiam rationem, modumq; jussa exequendi tradit.

9. Non magni itaq; momenti altera Hunnij objectio quam proponit disp. 3. thes. 3. num. 5. estq; talis ubi sedem habet prudentia ibi etiam virtutes morales quid enim prudentia aliud est quam omnium virtutum moralium fasciculus atq; corona. At neq; Aristoteles nec Peripatetieorum quisquam prudentiam in appetitu sed omnes posuere in intellectu. Ergo etiam virtutes morales ibidem erunt. R. negamus præmanu & majoris consequentiam & probationem ejusdem. Prudentiam quidem, ex intellectu nullatenus removemus, neq;

neq; veritas id patitur, illam verò nihil aliud esse quam fasciculum ac comprahensionem virtutum moralium, hoc est quod negamus & pernegamus. Quia omnes virtutes dirigit, ad omnes quoq; sese extendit, non tamen propterea idem plane est cum virtute, sed potius diversus ab illa habitus. Vis rationem? En tibi illam: Dirigens & directum, norma & normatum non sunt idem. At prudentia est norma secundum quam regulantur virtutum actiones, ut mediocritatem consequantur, unde in definitione virtutis dicitur quod consistat in mediocritate prout vir prudens eam definit.

10. Altùm hic sapit Timplerus qui lib. 1. cap. 4. q. 1. rejectis prioribus opinionibus statuit subjectum proximum recipiens virtutis, nec esse animam, nec aliquam ejus partem, sed totum hominem. Opinio hercles errorum fœcundissima: En, totus homo est proximum subjectũ, non aliqua pars hominis Ergo & nasus Ergo & aures. Ergo & ventriculus & c. Quam vero virtutem moralem in naso agnoscit Timplerus? Rationes quas addit numero 14. omnes aliud concludunt quam propositum. Sic enim erat inferendum. Ergo totus homo est proximum subjectum virtutis. At ille semper concludit. Ergo solus homo est subjectum virtutum. Non quæritur an solus homo, sed an totus illud sit cui virtus inhæret. An autem quod soli inest, etiam toti inerit? Nugæ Siculæ.

11. Investigato inhæsionis subjecto, in quo ipsa formalitas virtutis consistat porro inquirendum. 1. Quidam volunt privationem extremorũ. Malè (1.) quia potius dicunt quid virtus non sit quam quid sit. (2.) Quicquid enti positivo largitur esse, ipsũ positivum sit necesse est, aliàs effectus toto genere esset præstantior suâ causâ. Privatio in se considerata non est ens positivum, siquidem sunt contradistincta ens privativum & positivum; contradistinctum autem sui contradistincti ne-

ĉti negationem includit. Ergo in privatione extremorum non consistit virtutis formalitas. II. Dn. D. Meisnerus differt. de summo bono in coronide quæst. 4. *divortium faciens ab Aristotelicis, novæ opinionis architectus est. Statuit enim* ὀρθότητα, *rectitudinem esse, virtutis formam, & mediocritatem, in qua Philosophus virtutis essentiam ponit, aliquot rationibus oppugnat, non tamen expugnat.*

12. *Potissima* Meisneri *ratio talis est: Forma est quæ dat esse, ideoq; rem naturâ præcedit non sequitur, cum principium principiato prius sit. At mediocritas non præcedit sed sequitur virtutem. Non enim ideo est virtus, quia versatur in medio, sed contra quia virtus est mediocritatem servat. Resp. 1. ad majorem illã esse veram de substantijs nõ de accidentibus. Cum enim substantiæ corporeæ ex materia & forma tanquam principijs componantur, necesse est illa duo principia composito esse natura priora, constituens enim semper naturâ prius constituto. Accidentia vero quia non constant forma nec materia proprie dicta, sed ipsa sunt simplices ac puræ formæ, nodum in scirpo quærit, qui formam in illis priorem ipsis quærit. An non autem virtus est accidens sicq; pura forma. Quid ergo quærimus aliam formam virtute priorem. II. ad minorem negando illam. Nam actiones habitum præcedentes quoq; mediocritatem obtinent, & per crebras suas iterationes facilitatem servandi mediocritatem in appetitu generant, quæ facilitas est ipse habitus ex quo deinde similes prodeunt actiones eadem medietate præditæ. Quis jam non videt virtutes morales intimè in sua essentia mediocritatem involvere, & propterea esse virtutes quia in medio consistunt.*

13. *Alio fundamento* Hunnius disp. 3. Stagiritæ *opinionem evertere adnititur ita colligens: Virtus esset, si maxime nullum vitium nullum extremum; tolle enim audaciam & timidita-*

miditatem, fortitudinem non statim sustuleris: esset liberalitas, si maxime & avaritia & profusio impossibiles. Medium proinde negatur, ut non negetur virtus. Ergo mediocritas nequit esse forma virtutis, quomodo enim negata forma non negaretur ipsa virtus. Hoc illud adamantinum fundamentum ad quod subvertendum, notamus quod Aristoteles in libro Cathegoriar. cap. 11. Scriptum reliquit his verbis: Non necesse est, si contrarium alterum sit etiam reliquum esse. Nam omnibus benè valentibus sanitas erit non morbus, & omnibus albis existentibus, album erit non nigrum. Quid igitur mirum si virtus esse possit nullo existente vitio? In oppositione enim non tam existentia singularium quam essentia universalium consideratur. Non igitur virtus desinit esse medium, etiamsi actu non sint extrema, quemadmodum calor æstivus, cui contrariatur frigus brumale, non statim nomen & essentiam amittit, quod ejus contrarium non sit simul actu. Nullatenus ergo negatis extremis negatur virtutis forma sive mediocritas.

14. III. Est opinio Aristotelis 2. Eth. 5. nempe in mediocritate consistere virtutis quidditatem, cui nos nostrum addimus calculum. Probat hanc sententiam Arist. l. c. (1.) quia in artibus illarũq; operibus bonitas ex mediocritate æstimatur, unde de benè absolutis operibus dici consuevit, quod neq; demi neq; addi quicquã possit, quasi excessus & defectus quod benè est corrumpat, mediocritas conservet. Ergo multo magis hoc de virtute verum erit quæ omni arte ex actior est & melior. (2.) Si actiones propterea judicantur vitiosæ quod peccent vel in excessu vel defectu, ergo à contrario sensu propterea erunt virtuosæ quod mediocritatem obtineant. Verum autem est prius. Verum ergo & posterius.

15. Hinc virtus 2. Eth. 6. definitur habitus electivus in

mediocritate, quantum ad nos consistens, quæ mediocritas ratione præfinita sit, atq; ita ut vir prudens eam præfiniret. 1. dicitur electivus habitus, ex liberis spontaneisq; actionibus productus, ut præcedenti disputatione latius explicatum. Unde sequentia deducimus πόρισματα. 1. virtutem ut habitus est, non inesse à natura. 2. actiones fortuitas, licet sint bonæ, non statim virtuosas appellitandas. 3. neq; virtuosum dicendum qui coactione à vitijs retrahitur, e. g. carcere, paupertate &c. à prodigalitate, intemperantia & similibus.

16. Dicitur II. in mediocritate Multiplex datur medium 1. est medium subjecti sive negationis extremorum, & ita lapis dicitur medius inter cæcum & videntem, quia nec videt nec cæcus est. 2. mediũ participationis extremorum, quẽadmodum ita tepor est medium per participationem inter fervorem & frigus, quia de utroq; participat. Ita color viridis est medius inter album & nigrum, quia de utroq; partem æqualem habet, unde etiam visui maximè convenire à Physicis non sine ratione adseritur. 3. medium locĩ seu positionis, & tale medium est inter terminum à quo & ad quem in motu. 4. medium assecutionis, & talia media sunt destinata ad finem ut in Logicis syllogismus qui ducit ad veritatem: in Ethicis virtus quæ ad summum bonum est ordinata. 5. est medium proportionis inter excessum & defectum, quod etiam medium perfectionis, & in hoc dicitur consistere virtus.

17. Additur III. quoad nos. Nam adhuc ulterius progrediendo duplex se offert medium alterum τὸ πρᾶγματος sive rei quod Arithmeticum vocitant; alterum καθ' ἡμᾶς sive personæ quod Geometricum salutatur: illud æqualiter distat ab extremis, nec est uni vicinius aut similius quam alteri, quemadmodum ita secundum proportionem Arithmeticam numerus quaternarius exactè medius est inter duo & sex, siquidem ab utroq; distat duabus unitatibus, &

ex æ-

ex æquo superat & superatur: hoc inæqualiter distat ab extremis & uni vicinius est, ab altero remotius, non tamen plus minusve habet quam decet, & certæ personarum loci temporisq; circumstantiæ requirunt.

18. *Utrum autem ex his virtuti competit? Non prius sive medium rei idq; duplicide causa (1.) quia virtus non prorsus æquali distantia ab utroq; extremo abest. Cape exemplum à Liberalitate quæ propior est prodigalitati quam avaritiæ, unde etiam hæc deterior est illâ, ut suo loco probatum dabimus, simili modo Fortitudini similior est audacia quam timiditas. (2.) quia virtus instar regulæ Lesbiæ debet se accommodare ad circumstantias personarum & temporum. Sic Liberalis uni dat largius alteri parcius, prout persona accipiens est vel dignior vel indignior, magis vel minus indigens &c. Propterea IV. in definitione virtutis adjiciuntur hæc verba,* ratione præfinita, *prout vir prudens eam præfiniret. Nam magna est varietas & discrepantia circumstantiarum, videlicet personarum, locorum, & temporum, ideoq; opus est recta ratione ac prudentia, ut in tanta dissimilitudine medium inveniri queat.*

19. *Quæritur hoc loco, an virtus ita sit mediocritas, ut non possit esse ἀκρότης extremitas quod voluerunt* Pythagorici? *Resp.* Arist. 2. Eth. 6. *virtutem esse utrumq; pro diversa consideratione. Secundum essentiam consideratam, siveut ipse loquitur, substantiâ & ratione, quæ quid res sit exponit, mediocritas est: Secundum qualitatem autem, nempe bonitatem & perfectionem est extremitas. Quid enim in humanis virtute præstantius & superius. Nec malè* Picolhom. gr. 4. cap. 15. *sentit, dum putat virtutem esse extremitatem, quatenus opponitur utriq; extremo non disjunctim sed conjunctim pro vitio sumpto.*

20. *Cum virtus semper versetur inter duo extrema, dubium oritur*, num extrema sibi mutuo magis adversentur quam virtuti, *vel num minor sit pugna virtuti cum vitio, quam vitiorum interse? Videtur quod major pugna inter virtutem & vitium. Quid Athenis* (inquit Tertullianus) *& Hierosolymis? Quid Academiæ & Ecclesiæ? Quæ concordia* (*inquit Tarsensis Apostolus*) *Christo cum Beliale? Qui consensus virtuti* (*addo ego*) *cum vitio. Melius simul stabulari possunt vitia, quam cum virtute. Magis tamen arridet Philosopho nostro sententia statuens majorem esse pugnam duorum extremorum, ut videre est* 2. Eth. 6. *Rationes adducit binas* 1. *inter illa est major pugna quæ longius à se invicem distant, si enim contraria definiuntur quæ maximè à se mutuo distant, ergo magis contraria ea sunt quæ magis distant. At extrema longius distant à se mutuo quam à medio, longius enim abest audacia à timiditate quam à fortitudine, & sic in cæteris.* (2.) *Adde quod nonnullis extremis cum medio esse similitudo quædã videtur, ut audaciæ cum fortitudine, & prodigalitati cum liberalitate. At extremis inter se est maxima dissimilitudo. Ergo magis quoq; inter se pugnant quam cum medio.*

21. *Antequam hinc abeamus libet examinare quæstionem de discrimine virtutum moralium & Theologicarum*, an nimirũ differant essentiâ, an vero tãtũ gradu perfectionis & imperfectionis? *Posteriq; vult* Keck. in prægogn Eth. *mihi* pag. 10. *& ejus ὑποστήριξις* Timplerus lib. 1. cap. 2. q. 8. *Non aliter, inquit* Kkus, *se habet virtus moralis ad virtutẽ spiritualẽ seu Theologicam, quã se habet tepor ad fervorem & lux matutina ad vespertinam. Nos missis Calvinistarum deliramentis cum* Dn. D. Meisnero *magis sobriè philosophante* part. 1. Philosoph. sobriæ sect. 2. cap. 2. q. 3. *virtutes Theologicas & Ethicas essentialiter à se differre statuimus. En*

funda-

fundamentum opinionis nostræ nõ fabulosum, sed adamantinũ: Quæcunq; res differunt omnibus causis tã intrinsecis, quã extrinsecis illæ essentiâ differũt. At virtutes Theologicæ & Ethicæ omnibus causis differunt. Ergo essentiâ. Minor probatur per partes 1. differunt causa efficiente: Ethica enim virtus est à Natura sive voluntate rectæ rationi obtemperante: Theologica est à Gratia & speciali Spiritus Sancti operatione. 2. causa materiali, non ex qua, sed in quâ sive subjecto: Ethicæ virtutis subjectum potest esse & est homo infidelis, Theologicæ verò tantum fidelis. 3. Causa formali, quæ virtute morali est mediocritas, ut ex præcedentibus claret; Theologicarum forma est fides, qua sine est impossibile Deo placere. 4. Causa finali. Nam Ethnici homines ut ut virtute præditi, tamen actiones virtuosas non ad Dei sed suammet gloriam retulerunt.

22- Contra datam rationem ridiculè cornicatur, ut semper solet, Timplerus, iccirco de ijs, quæ adfert ne manum calamum ve moverim, placet tantum monstrare quanta absurda ex illorum opinione repullulent. Sic progredior: Si virtus Theologica tantum gradu differt à virtute Ethica, tanquam perfectum ab imperfecto, fervor à tepore, lux meridiana à matutina; Ergo ipsa Theologia ab Ethica tantum gradu perfectionis differt. Quid inde? Sicut tepor est verus calor etiamsi non sit tantus calor quantus fervor; & sicut lux (sunt verba Kkni) matutina est vera lux, etiamsi non sit tanta quanta meridiana: ita (assumo ego) quoq; Ethica Ethnicorum erit vera Theologia Christianorum, licet non sit tanta, sive tam perfecta. Quid porro? Si Ethica Ethnicorum vera Theologia; ergo Ethnici, Socrates, Aristoteles &c. veri fuerunt Theologi ac fideles. Annon hinc sequitur infideles esse fideles? Quid igitur mirum Zwinglium in exposit fidei ad Regem Galliæ scriptitare, in vita æterna nos visuros

ſuros in cælo, Socratem, Ariſtidem, Numam, Herculem, Camillum, Scipiones, Catones alioſq; gentiles qui virtutibus Ethicis claruerunt, cum ex abſurda Kkni opinione abſurdiſſimum hoc paradoxon ſequatur, illos fuiſſe veros Theologos & fideles.

23. Annon *igitur, inquiat aliquis,* virtutes Ethnicorum fuêre bonæ ac Deo placentes? *Negativam tuentur qui heîc in exceſſu peccant; propterea quod cauſam virtutum gentilium rentur fuiſſe carnem vitia tam. Cauſa verò vitiata quî poſſit bonum & laudabilem gignere effectum? At negitamus actiones gentilium virtuoſas fuiſſe carnales, à naturâ in quantum depravata productas. Ex alio promanarunt fonte, nempe ex rectâ ratione, eidemq; inſcriptâ lege naturali. Ergo abſolute, in ſe & intrinſecè ratione quidditatis ſuæ virtutes Ethnicorum fuiſſe bonas, ac Deo placentes fatemur, (qui enim quod bonum eſt Deus odio proſequeretur?) non autem extrinſece, ex accidente & ratione ſubjecti. Dupliciter enim conſiderari poteſt virtus vel ἐξ ἀφαιρέσεως quidditativè, non conſiderato ſubjecto cui inhæret, & ſic omnino bona eſt, cum congruat cũ lege naturæ; vel ἐκ προσθέσεως, cum ſubjecto cui ineſt quà hujus vel illius perſonæ virtus vel actio eſt, & ita ſæpiuſculè fit ut actiones optimæ ex accidenti degenerent in malas, Dn. Meiſner, diſtinguit inter conſiderationem virtutis* legalem, *in quantum opus rectum eſt, &* Evangelicam *in quantum opus Deo gratum, quæ diſtinctio hic applicari poteſt, præſertim ſi notetur duplicem eſſe complacentiam alteram generalem, ſpecialem alteram, quâ de re plura, data occaſione in ipſo conflictu.*

24. *Virtuti opponitur vitium, quod cum virtutis natura innotuit, facilè quoq; innoteſcit, quia contrariorum unum cognitum juvat cognitionem alterius* 1. Top. 13. *Prout itaq; virtus in mediocritate conſiſtit, igitur vitium erit quod à me-*

à medio recedit. Duplex vero est recessus à medio, alter in defectu alter in excessu, sicq; omni virtuti duo sunt opposita vitia, non obstante quod justitiæ tantum opponatur injustitia, siquidem à justitia deflectere possumus ad defectum & excessum, nimium vel parum cuiq; tribuendo, unde sequitur injustitiam reipsa esse duplicem licet uno nomine efferatur. Nam multa vitia esse quæ nomine carent testatur, ipse Arist. 2. Eth. 7.

25. *Ut igitur excessum & defectum devitare discamus, notandæ sunt aureæ Aristotelis regulæ quas tradit* lib. 2. Eth. c. 9. *I. est* à magis contrario magis est recedendum, *quia ex extremis alterum magis, alterum minus peccabile; sic avaritia est remotior à Liberalitate eiq; magis adversatur quam prodigalitas, ideoq; ab avaritia magis declinandũ vitiũ n. quo majus eo magis evitandũ. II.* Spectandũ ad quæ proclivio-res simus. *Alius enim adhoc, alius ad aliud vitium naturali propensione magis inclinat. Impetus autem naturales cum multum possint ad virtutis vel vitiorum habitus acquirendos, si illi ad mala nos rapiunt, ad quod magis alliciunt, ab eo nos incontrarium magis abstrahere debemus.* III. in omnibus à jocunditate & voluptate maximè cavendum. *Voluptas enim fascinat mentem, impeditq; rectum judicium, & blanditer à virtute abducit. Quod ergo Troianorum proceres erga Helenam fecerunt id nobis quoq; erga voluptatem faciendum, h e. dimittamus ipsam & sic minus peccabimus. Sed de virtutis essentia satis: sequitur virtus heroica.*

26. *Derivant nonnulli* virtutem hêroicam *ab ἔρως, quasi ex amore & concubitu Deorum cum hominibus sint orti heroes, ut Poetæ fabulantur. Ita* Homerus *Priamum de Hectore loquentem introducit —— Non hominis mortalis filius ille*

Esse videbatur sed magnâ à stirpe Deorum.

Sic Plautus in Amphitruone *describit Herculis ex Jovis & Alc-*

mena

menæ commistione prognati ortum. Et apud Senecam in Hercule furente act. 1. *Juno indignatur ac conquæritur quod cælo pulsa locum pellicibus dederit &c. Quia enim viderunt heroes factis superare communem hominum sortem, existimarunt non posse aliter hoc fieri, nisi â Dijs forent progeniti. Alij deducunt ab ἀήρ, quod priscitùs creditum fuit Heroum animas, à corporibus solutas in aëre cum Dæmonibus remanere, ac res humanas contemplari. Alias notationes recenset* Kecker. lib. 3. Eth. cap. 5. *ubi videri possunt.*

27. *Nos relicto nomine, de reipsa potius erimus solliciti, ideoq; mox videndum,* an virtus Heroica sit specie distincta à virtute morali? *Affirmativam defendit* Thomas 1. secundæ, q. 4. art. 3. Timpler. lib. 3 cap. 11. q. 1. Hunnius disp. 10. thes. 1. *Verior autem est opinio negantium, qui dicunt heroicam virtutem â communi non differre essentiâ sed excellentiâ seu gradu tantum, quia idem habet objectum, eundemq; finem cũ virtute cõmuni. Quod* Hunnius *oggerit versari illã circa objectum speciale diversum, propterea quod licet heroicæ adire ac subire illud à quo arcetur mediocris, non magni est momenti, Non enim hanc ob causam virtus communis arcetur, quasi sit objectum specie distinctum ab eo circa quod illa versatur, sed quia gradu sive ratione ardui à suo objecto differt.*

28. *Quam latè igitur patet virtus moralis tam latè patet etiam heroica cum nihil aliud sit quam perfectio virtutis in summo gradu, quod notandum ne quis putet solam fortitudinem perfici virtute heroicâ, eosq; qui alijs fortiores, duntaxat heroes appellitandos. Sic datur heroica justitia, qualis in Salomone, Aristide, Catone fuit: heroica temperantia, cujus exemplum Salvatoris nostri prodromus Johannes Baptista: heroica castitas qualis in Josepho, qui continuas Dominæ suæ sollicitationes surdis auribus sprevit: Quid? dantur virtutes intellectuales heroicæ, quales in sapientibus, artium ac disciplinarum inventoribus.*

29. *Ve-*

20. *Venit hoc loco quæstio discutienda de subjecto virtutis heroicæ*, an tantũ in viros cadat, an vero etiam in fœminas? *Videtur sexus fœmininus non esse capax hujus virtutis tum propter ejus perfectionem, tum etiam propter propriam imbecillitatem, quæ fæminas infra sexum masculinum deijcit. Nam hæc virtus est excellentissima & quasi apex & culmen virtutum moralium, unde* Arist. 7. Eth. 1. *eam vocat* θείαν *divinam, & hâc præditi propter ejus excellentiam* θεῖοι ἄνδρες *divini viri ab eodem nuncupantur, quod magis ad Deorum similitudem ascendere quam ad humanam infirmitatem descendere videantur. Horsum collimavit Alexander M. nominans se Jovis filium, quod mater ipsius Olympias ægerrimè tulit, & conquæsta est se adulterij ac turpitudinis insimulari, quasi à Jove deflorata ac vim passa fuisset. Hinc tria singularia in heroibus notanda I. vehemens ardor ac cupiditas res magnas perficiendi, qualis flagrans ardor fuit in Temistocle, qui postquam Miltiades ad Marathonem Persas devicisset, non amplius offendebatur in tabernis, sed insani instar per vicos & plateas noctu cursitabat, & quærentibus cur idipsum factitaret respondit: Miltiadis tropæum non sinit me dormire.* Plutarch. *Similis ardor fuit in Georgio Castrioto Scanderbego dicto, cui in prælium ituro præ nimio fervore pugnandi, inferius labrum scindi fuit solitum, copiosusq; erumpere sanguis, referente* Camerario centur 1. horar. succisiv. c. 32. *II. celeritas & constantia in exequendo proposito: hoc modo Alexander M. paucorum annorum curriculo amplissima regna imperio suo adiecit, unde tali usus symbolo* μηδὲν ἀναβαλλόμενος *nihil cunctando. III. fælix successus de quo gloriabatur Julius Cæsar his verbis: VENI, VIDI, VICI Sic de Alexandro scribit* Justin. lib. 12. §. ult. *quod cum nullo unquam hostium congressus sit, quem non vicerit, nullam gentem adierit, quam non culcaverit.*

30. *Mulieres autem ad hæc omnia videntur inepta. V. quia sunt frigidioris naturæ quam viri, ob frigiditatem enim & impotentiam fœmina sanguine abundat quibusdam sui corporis locis docente* Arist. 4. de generat. animal. c. 1. *Sunt fœminæ, inquit* idē 5. de generat. animal. 6. *suâ naturâ debiliores frigidioresq;, & sexum fœmineum quasi læsionem naturalem, & detrimentum esse putandum est: sunt moribus mollioribus, ac segniores in rebus agendis* 9. de histor. animal. cap. 1: *Hinc omnia pertractant frigidè, nec vehementibus ad ardua negotia perficienda concitantur stimulis, quod proprium virtutis heroicæ. II. Temperamentum mulierum quoq; humidius est quam virorum, unde fit quod non calvescant,* 3. de hist. anim. cap. 11. *calvities enim est à siccitate, & humoris pinguis inopiâ.* Arist. 5. de gener. anim. 3. Lemmius de complex. lib. 1. c. 11. *& sint pediculosiores viris* 5. de hist. anim. cap. 31. *nam & pueris idem accidit, quia caput illorum madet abundè, ut testatur* Arist. in problem. sect. 1. probl. 16. *Humiditas autem cum sit mater inconstantiæ, facit mulieres variabiles in proposito, ut ab incepto mox resiliant, quod similiter alienum à virtute heroicâ. Unde III. fit, quod illorum consilia & actiones rarò felicem sortiantur successum. Quid quod nonnulli,* mulieres homines esse inficientur, *cum apud nullum classicū authorē vox* homo *in fœminino genere usurpata inveniatur? in Jure quoq; illis nomen hominis derogari, author est* Cujac. l. 6. observ. 21. Et l. 38. §. 5. ff. de pœn. *expresse dicit: qui abortionis aut amatorium poculum dant, etsi dolo non faciant, si* mulier *aut* homo *eo perierit, summo supplicio afficiuntur. Alij* monstris *annumerant, si quidem natura in productione fœmellarum frustratur fine suo, cum semper intendat perfectius quod est mas,* (vide *differentem Philosophum* 4. de generat. animal. 1.) *unde mulier* deterius quid *viro appellatur* 1. Magnor. Moral. cap. 34. Plato *licet Apollinis ora-*

rũ oraculo sapientissimus judicatus tamen dubitavit, utro in genere animaliũ poneret mulierẽ, rationaliũ an vero irrationalium. Weinr. de monstris cap. 48. Arnis. lib. 1. Polit. c. 9. JCTI mulieres ob infirmitates suas ab omnibus officijs civilibus excludunt l. 2. ff. de Reg Jur. Romani prisci matronas in tutorum potestate esse voluerunt, propter naturæ infirmitatem, nec ulla civili administratione fungi, Cicer. pro Muræna. Plura de fœminarum moribus habet Syrac. 25. Lemnius lib. 4. de occult. nat. mir. cap. 13. Arnis. de jure connub. c. 1. sect. 3.

31. Dura sunt quæ in fœminas hactenus prolata, quia tamen non sunt catholica, mulieribus omnem adytum ad virtutem heroicam præcludere haut videntur. Illas vero esse naturæ prævaricationes ac parerga, ac irrationalia animantia, qui dicunt semetipsos brutis adnumerant, siquidem effectus non excedit virtutem causæ suæ illâq; est præstantior. Quî igitur qui ab irrationali animali procreati, non essent irrationales? Quid quod nonnullæ fœminæ sexum superent ac multis viris antistent? Sardanapalus vir erat, sed muliere corruptior quo encomio ornatur à Justino lib. 1. §. 3. Xerxes fuit vir, & tamen primus in fuga postremus in prælio semper visus est Justin. l. 2. §. 10. Arthemisia autem regina Halicarnassi, quæ in auxilium Xerxi venerat inter primos duces bellum acerrimè ciebat, idem l. c. §. 12. unde Xerxes ipse dixit, è viris fœminas, è fœminis viros factos, Suid. Simile exemplum heroicarum fœminarum habemus in Semiramide, quæ non fœminas modo sed etiam viros virtute antcivit, nec contenta fuit acquisitos à viro regni terminos tueri, Æthiopiam quoq; imperio adiecit, & Indiæ bellum intulit, quo præter illam & Alexandrum M. nemo intravit Just. lib. 1. Adde Tamyrim Idem lib. 1. §. 8. Amazonum reginam Pentheſileam lib. 2. §. 4. ex sacris Deboram, Judith &c. Cum igitur tam

præclara in hyſtorijs reperiantur exempla, quis dixerit naturam malignè cum mulieribus ingenuis egiſſe, & virtutes illarum in arctum retraxiſſe? par ad honeſta libera facultas, laborem doloremq; ex æquo, ſi conſuevêre patiuntur: ſcribit Seneca.

32. Quod vero Cujacius l. 38. §. D. de pœn. putat hominem & mulierem opponi, id falſum eſſe demonſtrat Philip. Matth. l. 187. ff. de reg. Iur. ſiquidem Paulus eo loci hoc ſaltem vult oſtendere, nempe ultimo ſupplicio afficiendum eſſe, non eum modo qui mulierem poculo abortionis (non enim homini ſed poculo abortionis opponitur mulier) peremit, ſed de quo magis dubitari poterat, iſtum quoq; qui poculum amatorium homini præbuit, ex quo iſte perijt, ſive mas, ſive fœmina: utriq; enim tam mari quam fœminæ poculum amatorium parari poſſe extra controverſiam eſt. Senſus itaq; legis eſt, utrumq; ſupplicio afficiendum, & eum qui poculo abortionis interficit mulierem, & qui amatorio poculo perimit hominem qui mas vel fœmina. Adde expreſſam l. 1. & l. 152. ff. de verb. ſignific. hominis appellatione tam fœminam quam maſculum contineri non dubitatur. Confer Gæddæum prolixè diſſerentem in l. 1. num. 28. & ſeqq.

33. Opponitur virtuti heroicæ in defectu ſumma Ignavia quãdo quis nullos plane ad virtutem ſentit ſtimulos, & non niſi fruges conſumere natus, qualem ſi inutile terræ pondus dixeris, nihil à vero alienum dixeris. In exceſſu ei opponitur Feritas, quæ à vitio communi ſolo gradu differt, eſtq; vitij quaſi culmen & eminentia ſumma, quâ homo infra humanam conditionem deprimitur, contra omnem rationem horrenda patrat, ac ſi in ferinam naturam eſſet transmutatus. Huc forte digitum intenderunt Poetæ ſuis fabulis de ſocijs Ulyſſis, Circes poculo in beſtias verſis, & Arcadibus in lupos

lupos transmutatis, quod bestiarum & luporum more vixêre.

34. *Facilis itaq; resolutu est quæstio illa quâ quæritur* an feritas sit deterior vitio; *si enim à communi vitio differt gradu secundum magis & minus, quomodo vitium in summo gradu, quod est feritas, non erit deterius, vitio communi sive in gradu inferiori? Calor sane in supremo gradu magis calor est eo qui in gradibus remissioribus & intermedijs. Eadem vero ratio est vitij & feritatis. Patet hoc ipsum etiam à contrario ejus, siquidem regula topica est, idesse deterius quod præstantiori opponitur* 3. Top. c. 2. *At contrarium feritatis virtus heroica est præstantius, contrario vitij scilicet virtuti communi. Ergo feritas est deterior vitio.*

35. *Notandum vero, non esse nobis sermonem de feritate, 1. quæ est ex morbo, & vel* in totum *rationis usum excludit, qualis conspicitur in maniacis qui sæpe detestanda peragunt; vel* in tantum *sive ex parte, qualis in mulieribus imprægnatis picâ laborantibus, quæ carbones, cinerem, imo vivi hominis carnem avidè concupiscunt ac vorant, cujus rei memorabile exemplum narrat* Lemnius l. 1. de occult. nat. mirac. cap. 5. *de quadam muliere Belgicâ quæ conspecto viro thoroso, morsum appetijt, & cum ei concederetur, dentibus partem avulsit, crudamq; devoravit &c. 2. quæ quasi à naturâ vel assuetudine à nativitate orta, ut inbarbaris: sed 3. de morali quæ est vitium cum eminentiâ. Ideoq; totuplex erit feritas quotuplex vitium morale virtuti oppositum, ita ut feritas alia sit opposita fortitudini, ad quam referri potest exemplum mulierum Teutonicarum, quæ occisis maritis tanto furore correptæ sunt ut obviam procurrentes Romanis, cum infantibus eos in adversas facies incusserint,* Carion lib. 2. de Cimbrorum bello in Italia; *alia opposita mansuetudini*

tudini, qualis feritas & in summo gradu crudelitas fuit in Astyage, qui cum Cyrum ex propriâ filiâ natum Harpago interficiendum tradidisset, Cyrus autem esset servatus ac postea agnitus, tantâ irâ percitus fuit Astiages, ut Harpagi filium mactatum coctumq; nescienti parenti edendum apponeret. Cum jam satur esset, præcepit Astyages amputatum pueri caput cum extremis manuum pedumq; in patina adferri, interrogavitq;, utrum cognosceret cujus feræ carnibus cibatus esset. Herod l. 1. Justin. lib. 1. §. 5. Carion l. 2. de Cyro. *Feritatis Liberalitati oppositæ exemplum præbuit Hatto Bonosus Episcopus Moguntinus qui tempore famis pauperes eleemosynam petentes in horreo concremavit, cumq; miserabiles ululatus in medijs flammis constitutorum auribus hauriret,* audite, *dixit,* murium vocem. *Plura exempla in hystorijs obvia, nos jam vela contrahimus.*

Corollaria.

I.

Cum appetitus sensitivus sit facultas, adeoq; accidens: in illo vero tanquam proximo subjecto virtutes morales collocantur, non ab re erit quærere, numquid accidens accidenti inhærere queat? quod affirmamus.

II.

Ardua est controversia de incubis & succubis, an nimirum dæmon cum hominibus congredi, & generare queat? Negitamus.

III.

An illibata virgo lac habere possit, & an firma sit illatio: lac habet. Ergo peperit? Prius Aff. post. neg.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729272885/phys_0078
DFG

Exercitationum Ethicarum.

QUARTA

DE

JUSTITIA

UNIVERSALI

ET

JURE

Propoſita

In Illuſtri Roſarum Academiâ

PRÆSIDE

M. IACOBO GERHARDI

Colb. Pom.

RESPONDENTE

HENRICO SIBRANDO

Roſtochienſi.

Loco horisq; conſuetis ad diem 11. Novembr.

ROSTOCHI

Typis exſcripſit JOACHIMUS PEDANUS,

ANNO M. DC. XX.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729272885/phys_0079

DFG

INgens splendor est stellæ Veneris (quæ solem præcedens Φώσφορος Lucifer, eundem vero insequens hesperus indigetatur) ut etiam meminerimus claritatem ejus oculos quorundam adeo præstrinxisse, ut Cometam esse arbitrati fuerint. Veruntamen, neq; Hesperus, neq; Lucifer est adeo admirabilis quam Justitia, quo elogio eam ebuccinat summus Philosophus Aristoteles 5. Ethic. Nicomach. cap. 3. Annon igitur digna ut germana illius facies, vivis Aristotelicisq; coloribus exprimatur? Omninò.

2. In ipso autem limine, pro more consueto, nominis æquivocatio pensitanda. Nam (1) est Justitia essentialis, nempe Deus in quem cum non cadat compositio ex subjecto & accidente, essentialiter justus est. (2) Accidentalis, eaq; vel Theologica vel Philosophica. Theologica, alia originalis, quæ consistebat in mentis sapientiâ, cordis sanctitate, appetitus integritate, cæterarumq; virium harmoniâ, per lapsum autem Adæ, proh dolor, est deperdita: alia imputata, per Christi meritum ac obedientiam tam activam quam passivam humano generi acquisita, de quibus videantur Theologi nostri. Philosophica, aliàs vocatur civilis sive Ethica, illamq; hic attendimus.

3. Ætymologiam si quæras, dicitur Justitia exiguâ literarum permutatione quasi vistitia vel quod vim sistat ut Alciato, Treutlero, Sphingis Philosophico-Theolog. authori aliisq; placet; vel quod cuiq; suum jus sistat, ut visum Hottomanno, Donello, Wesenbecio.

4. Quæritur hoc loco utrum justitia à jure an contra jus à Justitia derivetur? Ulpianus l. 1. ff. de I. & I. in prin.

principio, *posterius adprobat, expressè inquiens: Jus, à Justitia appellatum est. Rationem addit* Cujacius, *quia ars est posterior eo quod arte continetur, jus autem est ars æqui & boni, arte porrò æqui & boni justitia continetur. Ergo justitia prior est jure,* Arumæ exerc. Justinian. 1. thes. 5. *Veram hanc derivationem esse non* ratione verbi, *sed* rei, *docet* Giphan. in Instit. lib. 1. tit. 1. *quia Grammaticè Justitia à jure sive justo, philosophicè autem & civiliter, hoc est Juridicè, jus à justitia ut omnis actio ab habitu suo deducitur.*

5. Keckerman l. 1. Eth. c. 4. *inquit, justitiæ vocabulum à jure originem traxisse magis esse consentaneum propterea quod jus, juâ naturâ prius sit jure, cum omne objectum naturâ suâ prius sit habitu. R. Heus Bartholomæe distingue inter jus naturale & positivum. Hoc non tantum est objectum justitiæ sed etiam effectum ejusdem, si originem attendis, siquidem per justitiam viri sapientes & justi, leges tulerunt. Ergo jus positivum posterius est justitia, illudq; ab hâc rectè deducitur.*

6. *Sed missis putaminibus, nucleum sive rem ipsam quæramus, quam ut melius invenire possimus ad definitionem justitiæ rectâ progredimur. Hic vero nobis obviam procedunt ICti & Philosophi, qui in definiendâ Justitiâ discrepant. Nam* Ulpianus l. 20. ff de l. & l. *eam hoc modo definit;* Justitia est constans & perpetua voluntas, jus suum cuiq; tribuendi. *Aristoteles vero* 5. Eth. 1. cap. *eam definit* habitum quo homines idonei efficiuntur ad justa agenda, ex quo item justè agunt, voluntq; justa.

7. *Quod ad priorem ICti definitionem, à multis multa in illa desiderantur, quæ apud Dd. videri possunt. Nos producimus hîc solummodo, telum* Thomæ *quo voluntatem, quæ* generis *loco posita videtur, oppugnat, nempe quia voluntas est in secundâ specie qualitatis, potentiâ naturali: est enim voluntas*

luntas potentia seu facultas animæ rationalis, quæ per naturam homini competit: Iustitia verò est virtus ideoq; in primâ specie sive habitu. Jam sole adulto clarius est, disparatum non posse definiri per suum disparatum tanquam per genus. Malè igitur justitia per voluntatem definitur.

8. Dispiciamus nos annon pax iniri inter Philosophos & ICtos possit & ambæ definitiones amicè conspirent? Giphanius in Instit. causam, cur Ulpianus, Justitiam vocitet voluntatem, hanc reddit, quia est habitus in voluntate moderandâ maximè positus. At hoc modo Ulpianus cum Aristoteli conciliari non potest, cum hic Justitiam subjectivè in voluntate esse inficietur, ut mox probabimus. Vocabulum voluntatis metonymicè sumi, ultronei concedimus; verum metonymiam subjecti non agnoscimus. Qualem ergo? Causæ metonymia est. Regredere enim mecum ad secundam nostram disputationem de principijs virtutum moralium, & videbis ad habitus virtutum requiri actiones voluntarias. Quidni ergo etiam ad justitiam? Breviter, Iustitia dicitur constans voluntas, quia est habitus cujus proprium est esse firmam qualitatem ac difficulter mobilem, per voluntarias operationes comparatus.

9. Ex his patet, non ovum ovo, neq; lac lacti, ut Comici verbis utar, similius esse quam definitio prior Ulpiani, posteriori Philosophi. Videamus enim illam membratim, & res erit clara. I, dicit Justitiam esse habitum. Cur eam non appellat virtutem? Annon habitus est genus remotum, virtus proximum? Ita videtur Keckermanno lib. 1. Syst. Eth. cap 4. ubi justitiam universalem per virtutem tanquam genus definit. Erroris causa est, quod Keckermannus putavit justitiam universalem esse quiddam re distinctum à particularibus virtutibus ut loquitur loco citato, qui tamen paulo post sui quasi oblitus, inquit, tam arctè justitia universalis cum virtu-

virtutibus particularibus copulatur, ut separari non possint. Hic si quis Keckermanniana principia urgere voluerit, tã arctè Calvinistam constringere potuerit, ut nunquam sese extricare valeat. Nam in systemate Logico lib. 1. sectione poster. cap. 5. *agens de distinctione reali, talem ponit canonem: quæ realiter differunt possunt à se invicem separari. At justitia universalis, fatente Keckermanno, tam arctè cohæret cum virtutibus particularibus ut separari nequeant. Ergo necesse est concedat non differre inter se illas realiter. Ergo secundum Keckermannum justitia à virtutibus specialibus differt realiter, & non differt.*

10. *Sed quid nos moramur Keckermannum,* Aristotelem *acutius cernentem audiamus. Is* 5. Ethic. Nicom. c. 3. *sic fatur: Justitia non pars (subintellige subjecta sive species) virtutis sed integra virtus est, neq; huic opposita injustitia pars vitij sed integra est vitiositas. Quod vero virtus & justitia hac differat, ex ijs quod diximus jam patet: utraq; enim eadem est, esse tamen utrarumq; non est idem, nam quatenus ad alterum spectat Iustitia, quatenus talis quidam est habitus virtus simpliciter est. Audin'? sunt una eademq; res virtus universim accepta & justitia universalis, quam propterea συλλήδδην πάσης ἀρετῆς vocat Aristoteles cap. 3. quia virtutes in se complectitur omnes.*

11. *Nam objectum Iustitiæ universalis, omnes in universum* leges *sunt, etiam illæ quæ ad civilem fælicitatem conservandam pertinent, vel justitia universalis subijcit justum cunctis legibus, quæ de omnibus vitæ officijs, sive publica sint sive privata. Claris verbis hoc ipsum innuit Philosophus* 5. Eth. cap. 3. *inquiens: leges de omnibus præscribunt, ea spectantes quæ vel* communiter omnibus *conferunt, vel optimis quibusq;, vel principalibus, qui scilicet virtute aut tali aliquo modo hujusmodi fuerint, atq; ita uno quidem modo ea*

justa

justa dicimus quæ fælicitatem ejusq; partes civili societati & efficiunt & conservant. *Uno verbo, præscribunt leges de omnibus* honestis, *adeoq; de ijs quæ sunt viri fortis, temperantis, mansueti &c.*

12. *Hinc l. c. Aristoteles subjungit: lex præcipit & id quod viri fortis opus est, ut non deserere ordines, non fugere, non abijcere arma; & id quod est temperantis, ut non committere adulterium, non contumeliosè se gerere; & quod est mansueti, ut non verberare, non maledicere &c. Audis? justè in se ipsum agit qui temperanter vivit: justè in hostem qui fortiter pugnat; injustè contra qui scutum abijcit ob ignaviam, qui aliquem maledictis lancinat &c. Et hinc puto morem ortum, quo omne integrum suaq; natura perfectum solemus appellare* justum. *Quod ipsum etiam in nostrâ Germanicâ linguâ observare licet, quâ solemus dicere* es ist justi/ es ist recht *Summatim justus est qui honestè vivit tum secum, tum cum alijs: Honestè autem vivit, qui secundum omnium virtutum præscriptum vitam instituit: Finis enim omnium virtutum ad quem proximè & immediatè referuntur est* honestas.

13. *Ut adhuc clarius eluceſcat, quomodo virtus etiam ad habentem relata sit justitia, notari volumus quod in Physicis de temperamentis traditur. Est enim temperamentum aliud* æquale ad pondus *sive Arithmeticæ proportionis, in quo Elementa pari portione, ut nullum prædominetur: aliud Geometricæ proportionis, quod vocant temperamentum* quoad justitiam, *propterea, quod uti justitia suum cuiq; tribuit, ita justa natura non omnibus mixtis eandem plane elementarium qualitatum portionem tribuit, sed talem qualis cujuslibet naturæ maximè convenit.*

14. *Applicemus hæc ad institutum, & videamus, quale sit illud medium in quo virtutis essentia consistit? Non*

sanè

sanè est medium Arithmeticum, ut præcedente disputatione visum, sed Geometricum, quod non absurdè medium justitiæ vocare possumus. Nam quia circumstantiæ circa virtutis negotium valdè sunt dissimiles, interim tamen medium observandum, sanè illud non erit absolutum, sed ita varietati obnoxium ut concurrentia ad actionẽ, variari possunt. Quid? pro hujus medij inventione, omnia sunt consideranda, quæ pertinent nedum universè ad humanam actionem, sed ad singulas quoq; circumstantias, quæ tunc temporis ad definitam ac individuam nostram actionem conspirant, ut eleganter docet Picolh. grad. 4. c. 5.

15. Prout itaq; in tantâ circumstantiarum varietate mediocritatem virtus observat, & suum cuiq; tribuit, annon justitia dicenda? Unde Picol. grad. 4.c.6. dupliciter virtutem in medio positam ait, 1, ratione perturbationis, quâ ratione omnis virtus consistit in medio vitiorum & extremarum perturbationum. 2, ratione justitiæ, omnis enim virtus moralis est justitia quædam. Sic liberalitas, quatenus oblato duplici objecto eoq; dissimili, in tantâ discrepantiâ medium observat, & unicuiq; dat quantum par est, justitia quædam est. Idem fit in alijs.

16. Hoc autem non propterea tam prolixè declarare voluimus, quasi negitemus, virtutem universè sumptam esse justitiam quatenus est bonum ἀλλότριον & suas actiones ad publicam utilitatem refert. Hoc enim & nos cum Aristotele dicimus, nempe justitiam propterea dici perfectam virtutem quia perfectæ virtutis usus est, & qui eam habet, non solum secum sed cum altero etiam virtute uti potest. Undè rectè illud Biantis dictum videtur: Principatus virum ostendit. Ob idipsum quoq; justitia sola ex omnibus virtutibus esse alienum bonum videtur, quia ad alterum spectat, agit enim ea, quæ alteri conducunt, aut principi aut Reipublicæ. Hæc omnia

recto

recto incedunt talo, quamdiu non intelliguntur exclusivè, quasi tantum virtus dicatur justitia, quando refertur ad aliud quid quod extra habentem virtutem constitutum. Nam ostensum satis dilucidè quomodo sit justitia, etiam cum refertur ad habentem.

17. *Nervosè hâc de re disserit* Picolh. gr. 4. cap. 30. *cujus verba digna ut huc transscribantur. Ille autem ita sermocinatur: Justitia sumpta pro virtute universâ, intra suos fines omnem virtutem includit, & distinctâ ratione cũ universa virtus tũ universa justitia nũcupatur. Dicitur virtus quatenus est habitus virũ probũ ejusq; actiones rectè cõponens: nuncupatur vero justitia per relationem ad aliud, quod aliud quadruplex est: vel enim (1) sunt* personæ *cum quibus agimus, tribuendo unicuiq; quod suum est, neminem neq; opere aut verbo lædendo: vel sunt (2.)* leges *quibus qui obtemperat præcepta servat omnium virtutum, ut dicitur in 5. Moral. Nicomachior. vel (3.) sunt res in quibus versamur, sive enim in voluptate, sive in pecuniâ, sive in honore, sive in irâ, sive in alio quovis versemur, dum unicuiq; tribuimus quod ei competit; tanti id facimus quanti fieri debet, & eam portionem recipimus quæ nobis congruit; justitiam & æquum servare dicimur: vel (4.) sunt facultates animæ nostræ, in quibus justitia refulget, dum invicem ita se habent, ut inferiores obtemperent superioribus, superiores rectè imperent. Hæc ille.*

18. *Ut igitur è diverticulo in viam iterum redeamus, dicimus ineptè Keckermannum statuere proximum genus justitiæ universalis esse virtutem, cum sint* τὰυτὸ *& eadem res, quæ pro diversâ consideratione diverso nomine efferatur. Si enim absolutè, simpliciter, & in se consideretur, est & dicitur virtus, si cum respectu ad aliud vocatur justitia. Quæ*

vero re unum sunt & tantum respectibus differunt, non habent se ut genus & species. Rectè igitur Aristoteles proximum Justitiæ Legalis genus statuit esse habitum. *Probo: quæ re unum sunt idem habent genus proximum. At virtus universè sumpta & universalis justitia re idem sunt. Ergo quod est virtutis moralis genus, erit etiam genus Justitiæ universalis. Jam virtutis genus proximum est habitus. Ergo & Justitiæ universalis.*

19. *Additur in definitione Aristotelicâ,* (1.) quo homines idonei efficiuntur ad justa agenda; *ubi notandum non intelligi hic facultatem naturalem, sed acquisitam. Habitus enim non dat primam operationem sed tantum facilitat illud principium à quo est prima operatio h. e. potentiam naturalem, ut bene & promptè operari queat, unde dicitur: habitus reddit faciles & hilares ad benè operandum. Prout potentia cognoscendi verum est naturalis; at ut facilè & bene verum cognoscatur est ab habitu: ita potentia justè agendi à naturâ inest, habitus autem justitiæ reddit nos idoneos ad justa facilè benèq; agenda.* (2.) *dicitur* ex quo item justè agunt; *secuti enim omnis habitus ex propriâ operatione cognoscitur, ita habitus justitiæ per justas actiones innotescit. Cum autem non sit habitus theoreticus sed practicus qui essentialiter ordinatur ad operationem, is demum Ethicè justus dicendus, qui effectivè talis est. Fœlicitas enim non in habitu & otio, sed actione & negotio consistit.* (3.) *additur,* voluntq; justa; *voluntas enim requiritur ad omnem actionem virtutis, ut nempe finem velit.*

20. *Hinc, dicat aliquis, sequi videtur subjectum Iustitiæ esse voluntatem. Ita quidem putat* Thomas, *sc. ad solum appetitum rationalem tanquam proprium subjectum pertinere justitiam.* Keckerman. in curs. Philosoph. *eam ad voluntatem*

tatem & appetitum sensitivum simul refert. Nos cum Picolh. grad. 4. c. 13. soli appetui sensuum eam inhærere subjectivè arbitramur, ratione moti non stramineâ. Cum enim Justitia universalis, ut sæpius jam dictum, non differat realiter à virtute morali communi, unum idemq; illis assignare subjectum veritate cogimur Moralis autem virtus in appetitu sensitivo, non rationali sedem habet, ut præcedente disputatione probavimus. Ergo ibi erit quoq; justitia.

21. Objectum Justitiæ universalis est Jus quod quidam derivant à jubendo Donell. 1. com. 4. jus enim propriâ ratione jussi nomen per excellentiam obtinet Arum. exerc. 1. thes. 4. quia facienda jubet. Alij jus dictum putant contractè quasi Jovis os; omne enim jus omnisq; justitia est à Deo tam Ethnicorum quam Christianorum suffragijs Beckmannus de origin. Latin. Linguæ. Videtur hanc etymologiã stabilire illud quoq; quod antiquitùs pro voce jus scribserũt jous quasi jovis os. Congruit cum hâc notatione vocis latinæ, altera Græcæ, quâ δίκη quasi Διὸς ἰκηγαυῖα est Hesiodo. Aristoteles vero 5. Ethic. Nicom. c. 7. inquit jus dici δίκαιον ἀπὸ τῆ δίχα quasi δίχαιον i. e. bipartitum quod in duas æquales partes rem scindat neutri parti plus minusve, quam par est, tribuens; & judex δικαστὴς q. δίχαστὴς i. e. bipartitor dicitur.

22. Συνώνιμον Iuris est Lex, quam vocẽ Isidorus l. 2. Etym. c. 10. deducit à legendo quod leges publicè legi consueverint. Corasius vero illam nominat erroneam; nec immeritò, cum plane accidentarium legibus sit ut legantur. Thomas 1. 2. q. 9. a. 1. legem putat dici à ligando, quia obligat ad agendum aliquid. Vide, si placet prolixe de his tractantem D. Meisner. de legibus lib. 1. q. 1. Nos ad rem ipsam properamus.

23. Jus igitur sive Lex nihil aliud est quam regula men-

mensura, ac norma, conformis rectæ rationi, rectæ agenda cum obligatione præscribens. Regula *est honestè vivendi ac justitiam exercendi: legibus n. tanquam communi præcepto* l. lex est ff. de ll. *præscribitur subditis, quid cuiq; faciendum vel omittendum: lex est regula justorum & injustorum* l. 2. ff. de ll. Νόμος πάντων βασιλεὺς, *Lex est omnium Rex, juxta* Pindarum, *ait* Plutarchus in vitâ Demetrij. *Quia vero regula non debet esse curva sed recta, lex etiam talis esse debet. Recta autem est quando congruit cum rectâ ratione, quæ est fundamentum legum.*

24. *Hinc Aristoteles tam accuratè distinguit inter* virum bonum & civem bonum 5. Eth. 5. 3. Polit. 4. *Sunt enim quædam leges iniquæ qualis illa cujus meminit* Cicero 1. de Legib. *quod Dictator quem vellet civium indictâ causâ impunè posset occidere; aut illa* Guilielmi I. Regis Siculi, *ne fas esset patri elocare filiam rege non consentiente*, Summon. l. 2. hystor. Neapol. c. 3. Arnisæ. de jure majest. lib. 2. c. 3. n. 1. *Ephesiorum lege homines virtute exculti in exilium mittebantur* Cicer. 5. Tuscul. *Sic apud Massagetas lex fuit de parentibus decrepitis & defloccatis senioq; confectis, mactandis & devorandis. Si quis ex membris istius Reip. hanc legem observarit*, bonus civis *habebitur, qui tamen non est, pro* viro bono *justoq; habendus.*

25. *Deinde diximus legem præcipere rectè agenda. Finis enim legum est bonum commune, idq; non theoreticum sed practicum. Adde quod legum humanarum objectum sint πράξεις humanæ. Igitur tota vis illarum dicitur consistere in eo quod jubeant vel vetent* l. 7. ff. de LL. *sc. quæ sunt facienda vel intermittenda. Hinc* tertiò *adjectum* cum obligatione, *siquidem legis forma non tantum consistit in eo ut facienda & fugienda præscribat, sed etiam homines ad illa obligare*

ac

ac cogere debet; unde duplex vis legum una directiva *altera* coactiva. *Docet hoc* Arist. 10. Eth. cap. ult. *inquiens: lex cum ex prudentia quadam & mente profecta oratio sit, cogendi vim habet.*

26. *Oriuntur hinc quæstiones nonnullæ, hoc loco ventilandæ. 1. est,* An cujusvis hominis ratio possit legis effectrix esse? *Verissimè divinus Plato, inquit, Regis munus est condere leges. Si enim cuilibet etiam ex fæce plebis potestas ferendi leges concederetur, finis legum tolleretur, multæq; Respubl. sedibus imis concussæ everterentur. Conduntur enim leges hunc in finem ut bonum commune ac salus publica promoveatur ac diurnet. At si omnibus privatis quoq; hominibus licitum cudere leges, quisq; per illas privatum quæret commodum & ita moderabitur eas, ut quam maximè faveant isti vitæ generi quod nomotheta ille vivit; sartor sartoribus, sutor sutoribus favorabiles consuet leges. Vulgus enim quam maximè ducitur affectibus, ac cupiditatibus: prout autem lex à Philosopho definitur νοῦς ἄνευ ὀρέξεως i. e. mens sine appetitu: ita & Nomotheta carere appetitionibus improbis debet, quæ imperitæ plebis multitudinem præcipuè invaserunt, ac rationis imperium, cui leges consentire debent, multum expugnarunt, propter quod potestate leges condendi indigni habentur.*

27. *Sed & illa ratio non levis est, quod vis coactiva, sit forma legum. Quid enim prosunt leges quæ ad sui observantiam homines obligare & cogere nequeunt? Vis igitur cogendi debet esse penes eum qui legem conditurus est. At illa potentiâ & vi non est instructus homo privatus, sed tantum Princeps ac Magistratus. Hinc privatorum leges sunt similes telis aranearum, quas muscæ fortiores ac crabones bombilantes, impunè perrumpunt. Recte ergo* Aristot. 3. Polit. c. 13.

ait: ridiculus foret qui potentiores legibus suis subijcere conaretur: dicerent enim fortasse quemadmodum de leone scribit Antisthenes, concionantibus lepusculis ac censentibus, æquum omnes debere habere. Sciebant hoc Athenienses, iccirco cum Soloni mutandæ Reipublicæ curam darent, etiam absolutam & summam adjunxerunt potentiam, sine quâ leges inanes futuras prævidebãt, Plutar. in Solon. Vide copiosè de hac materiâ agentem Arnis. de jure majestat. l. 2. c. 3. *Idem nobiscum statuunt ICTI,* l. si Imperialis C. de LL. & constit. princ. item l. ult. C. de LL. *tam conditor quam interpres legum solus Imperator justè existimabitur; ipse enim jura gerit in scrinio suo* l. omnium C. de Testamen.

28. *II. quæri solet*, an scriptis legibus utendum? *Principio rerum, gentium, nationumq́, populus nullis tenebatur legibus arbitria principum pro legibus erant, inquit* Justin. l. 1. §. 1. *Lacedæmoniorum leges nunquam in scripturam sunt redactæ §.* non ineleganter Instit. de Jur. nat. gent. & civ. *quod & lege disertè apud ipsos ne fieret cautum est, rationem reddente Lycurgo, quod animo potius quam calamo leges debeant custodiri* Plutarch. in Lycurg. *Et ad judicem ire est ire ad jus ipsum, siquidem judex est jus animatum,* Arist. 5. Ethic. 7. *Videtur igitur quod præstet, jus accipere à personâ quæ secundum rationem absq́ scriptis legibus judicat, quam à legibus ipsis & personâ secundum illas judicante.* Aristoteles *tamen in pulcherrimo illo* capite 16. lib. 3. Politic. *concludit melius esse ab optimâ lege quam optimo viro gubernari. Melius est, inquit, ut lex dominetur, quam aliquis civium, & si quos præesse oportet ita sunt præficiendi, ut* custodes *legum, atq́* ministri: *& paulo post ait; judicat unusquisq́ in magistratu benè, si sit eruditus primo à lege.*

Ratio-

Rationem addit Aristoteles, quia lex est mens absq; appetitu. Rectè, siquidem qui leges fecerunt, sine affectibus amore, odio &c. fuêre, nam de absentibus & nascituris longo temporum decursu judicarunt, ideoq; non attenderunt amicos vel inimicos. At judex de præsentibus judicat ubi locum habent amici, proquinqui, munera, ut inquit Andr. Gerhardi exer. Justinian. decad. 1. q. 1. *Facile itaq; affectus rectam rationem in judice præpedire, eumq; à recto justitiæ tramite abstrahere, possunt.*

29. *Innuit hoc Aristoteles l. c. inquiens: qui legem præesse jubent, videntur jubere Deum præesse & leges: qui autem hominem jubet præesse adjungit & bestiam. Quî hoc Stagirita? numquid hominem putas esse bestiam? Nam libido (inquit porrò) talis est, ut obliquos agat etiam viros optimos. Hinc in civilibus magistratibus multi multa per affectionem & gratiam consueverunt delinquere. Adde quod infinitis bonis viris ac Principibus continuatâ serie sibi invicem succedentibus opus sit. At si scriptis utimur legibus satis est semel bonos fuisse legumlatores.* Anne igitur omnia legibus sunt comprehendenda ut nihil judicis relinquatur arbitrio? *Expresse fatetur Aristoteles quædam esse quæ legibus comprehendi non possunt: ideoq; prudenter cavens lex adjungit, cætera justissima intentione judicari debere per eos qui judicijs præsunt.* 3. Polit. c. 16. *Cujus rei causa est quod lex sit universalis* 5. Ethic. 14. *unde lex commune præceptum dicitur* l. lex est ff de ll. *& definitur à Martiano communis sponsio* l. 2. ff. de ll. *Ut enim in alijs artibus sic etiam circa civilem constitutionem impossibile est singula ad minimum usq; scriptis comprehendere, necesseq; est ut generaliter scribantur,* 2. Polit. c. 8. *Quis enim tam exquisito præditus sensu, ut omnes casus, omnes circumstantias singulares,*

quæ

quæ circa actiones humanas accidere possunt, prævidere queat? Minutiora igitur quæ legibus non sunt comprehensa, nec comprehendi possunt l. non possunt ff de LL. *judicis Prudentiâ determinanda relinquuntur.*

30. *III quæstio quæ hic agitari solet est*, an scriptura sit de essentia Legum? *Negamus, quia essentialia abesse nequeunt, re manente salvâ & incorruptâ. At scriptura potest abesse à legibus, quod patet exemplo Lacedæmoniorum, qui nullas habuere leges scriptas. Non ergo est de essentiâ legum ut scribantur vel scriptæ sint.* *Hinc* l. 6. C. qui bon. ced. *ait: imperator dicendo legem condit.* Vide Arum. thesi 16. exercit. 1. *ubi fatetur hoc tempore ad existentiam quidem pertinere scripturam non ad essentiam legum.*

31. *IV. disceptatur* an ad legem requiratur promulgatio? *Scholastici, ut* Thomas, Dominicus Soto, *alijq; ad omnem legem necessariam esse promulgationem, contra quos disputat* D. Meisnerus lib. 1. de Legibus q 5. *Nam primo* Lex æterna, *cum nihil aliud sit quam consilium Dei de gubernandis omnibus creaturis, quod consilium non nisi per executionem innotescit hominibus, non requirit promulgationem. Cui enim & cur deberet Deus alicui rationem reddere quomodo hanc mundi machinam gubernare velit? Deinde quoq;* Lex naturæ *propriè loquendo promulgata dici nequit, siquidem illam non didicimus, accepimus, legimus, sed ex naturâ ipsâ arripuimus, hausimus, expressimus; non docti ad illam sed facti, non instituti sed imbuti sumus, ut bellè loquitur Cicero pro Milon.* *Ad* legem *autem* humanam, positivam *omninò necessaria est promulgatio, cum alias obligare nequeat. Obligatio enim præsupponit cognitionem legis, Nam nemo dicitur obligari à lege quæ ei non est data. At per promulgationem lex datur. Ergo ante promulgatianem obli-*

obligare nequit. Ignorantia igitur legum nondum promulgatarum factum excusat. Leges enim sacratissimæ quæ constringunt hominum vitas, intelligi ab hominibus debent l. leges C. de leg. & constit. princ.

32. *V. Quæritur* an lex tantum possibilia præcipiat? *Pontificij adserunt, omnibus in universum legibus competere, ut ea quæ præcipiunt sint in potestate ejus cui datæ sunt leges, indeq; inferunt Decalogum non tantum perfectè, sed & superabundanter impleri posse. His meritò se opponunt nostrates Theologi, statuentes impossibilem esse Decalogi impletionem,* 1. ob naturæ nostræ infirmitatem *& inchoatam renovationem, siquidem semper in nobis peccatum habitat* Rom. 7. v. 17. *& caro concupiscit adversus Spiritum,* Galat. 5. v. 17. *unde justus in die cadit septies,* Prov. 24. v. 16. *Nam in originali peccato quatuor continentur,* 1. Reatus, 2. Dominium, 3. Sensus, 4. Radix. Reatus *tollitur per justificationem, quæ ex fide & per fidem in Christum Redemptorem, secundum clara scripturæ testimonia* Marc. 5. v. 36. Rom. 3. v. 28. c. 4. v. 3. Galat. 2. v. 16. Ephes. 2. v. 8. Dominium *per renovationem ac quotidianam carnis mortificationem, quâ fit ut caro non dominetur Spiritui, sed contra Spiritus carni. Interim tamen remanet sensus, quia etiam sanctissimi sentiunt stimulos pravorum affectuum.* Sensus *itaq; non tollitur nisi morte; defuncti enim non amplius sentiunt exstimulationes affectuum ac pruritum pravarum concupiscentiarum. Restat tamen adhuc radix cum videamus corpora & cadavera corrumpi ac putrescere &c. Per incinerationem igitur tollitur deniq;* radix *ipsa, ut suo tempore absq; peccati labe resurgere possimus. II. impletio legis est impossibilis ob summam perfectionem quam lex requirit. Postulat enim à nobis, non tantum* perfectionem partium *sed &* graduum, *juxta illud* Deut. 6. v. 4. Matth. 22. v. 37. *Diliges*

Dominum Deum tuum ex toto corde &c. Quandocunq; itaq; sermo est de lege divina, tenenda est regula Theologica: à præcepto ad posse non valet consequentia. Vide Meisner. lib 1. de legibus. q. 5. & in consult. contra Lessium. p 515. & seqq. *Si autem quæstio instituitur de legibus humanis, affirmativè respondemus, nimirum illarum adfectionem necessariam esse, præcipere possibilia. Summam enim sapit tyrannidem compellere subditos ad talia quæ factu sunt impossibilia, & pœnas sumere ab ijs, qui non fecerunt, quod facere non potuerunt. Heic itaq; valet,* Ultra posse nemo obligatur: *Et illud:* Ultra posse viri non vult lex ulla requiri.

33. *Properamus ad divisionem Iuris, quæ alia apud ICtos alia apud Philosophos. Illi dispescunt jus in* Naturale, Gentium, & Civile. *Aristoteles dividit illud primo in jus absolutè & simpliciter tale, quod alias jus Politicum sive civile vocatur, & in jus per similitudinem, quod speciali nomine œconomicum & domesticum indigetatur, estq; porro triplex, vel πατρικὸν paternum quod est inter parentes & liberos; vel δεσποτικὸν herile quod inter dominum & servum; vel γαμικὸν matrimoniale quod inter maritum & uxorem. Jus civile porro dividit in Naturale & legitimum, ut videri potest* 5. Ethicorum c. 10. *Unde patescit quomodo Aristoteles conciliari queat cum ICtis, qui tres juris species constituunt. Nam Philosophus utitur nomine juris civilis latissimè pro omni jure publico tam naturali quam positivo, includitq; naturali jus gentium. ICti vero nomine juris civilis intelligunt tantum jus publicum positivum, prout naturali contradistinguitur.*

34. *Commodè igitur jus dividi potest in* Naturale & Civile. *Naturale definit* Aristoteles 5. Eth. c. 10. *quod ubiq; eandem vim habet, & non quia vel ita videtur vel minimè h. e. non ex hominum opinione, sed ex ipsa naturâ. ICti latiorem*

tiorem habent definitionem dicuntq; jus naturale esse quod natura omnia animantia docuit, lib. 1. Instit. tit. 2. *Arrodit hanc definitionem posteriorem* Valla, *propterea quod bruta sicuti rationis ita quoq; juris sint expertia, siquidem jus, ut superius dictum, est regula conformis rectæ rationi. Unde & Aristoteles solam humanam naturam respicit, & illud jus naturale vocat, quod ratio intelligit humanæ naturæ convenire. Excusat autem* Cujacius *cæteriq; Dd. datam definitionem, quod illud quod simplici saltem dictante ratione ab hominibus pro jure receptum est, si etiam in brutis inclinatione animadvertitur, recte jus naturale dicatur. Competit itaq; jus naturale bestijs non propriè, sed per similitudinem, quatenus effectus similes & analogici in brutis conspiciuntur.*

35. *Duplex propterea jus naturæ constituendum, aliud* generale & primævum, *quod homini cum reliquis animantibus commune est, ac definitione ICtorum exprimitur, ut* defendere seipsum, sui corruptionē fugere, vim vi repellere speciē propagare ac sibi simile generare *&c. aliud* generale & secundarium *quod peculiare est toti humanæ speciei, & ex jure naturali primario tanquam scaturigine fluit. Ad hoc secundarium jus naturale referimus illud quod ICtis jus gentium dicitur, & definitur id esse quod naturalis ratio inter omnes gentes constituit §. 2. Inst. de I. N. G. & C. Consistit autem in duobus capitibus quorum primum pro* objecto *habet* Deum, *ac concernit cultum divinum, quorsum pertinent illa principia,* Deum esse, esse colendum *&c. alterum pro* objecto *habet* hominem, *& in tres ramulos sive tria præcepta se diffundit quorum (1) est,* honestè vivere, (2) neminem lædere (3) suum cuiq; tribuere: *quæ tria præcepta de omni humanarum actionum genere loquuntur, quod polcrè deducit* Arum. exerc. 1. thes. 11. *hoc modo: Quicquid agit homo, vel* secum *agit, unde* actiones absolutæ, *ad quas primum præceptum refer-*

tur; vel cum alijs *unde* actiones relatæ, *ad quas duo posteriora adplicamus, sed tamen diversimodè. Cum enim actiones relatæ consistant vel in* omittendo *vel in* committendo, *circa illas secundum, circa has tertium versatur.*

36. *Antequam hinc discedamus allubescit quærere* I. An principia illa quæ vulgo vocantur connata, sint actu connata an vero potestate tantùm? *Sunt qui hic è diametro oppositâ sibi invicem dicant Scripturæ oracula & Aristotelis decreta: illa siquidem opus legis scriptum in cordibus gentilium, illosq; natura ea facere quæ sunt legis, testatur* Rom 2. v. 14. &c. *hic vero* lib. 3. de anim. c. 4. text. 14. *intellectum nostrum, comparat cum rasâ tabulâ in quâ nihil est actu scriptum. Verissimum effatum Philosophi nostri, illiq; Scripturam malè oppponi arbitramur. Certum enim est, omnem nostram notitiam in intellectu, ortum trahere à cognitione sensuali, juxta tritum illud: Nihil est in intellectu quod non prius fuerit in sensu; & illud: oportet intelligentem phantasmata speculari. Quomodo igitur cognitio honestorum & turpium esse potest actu innnata? Hoc quidem ambabus largimur ulnis, non acquiri cognitionem principiorum per discursum, sed sufficere ad illam simplicem terminorum intelligentiam & apprehensionem, sive ut clarius dicam, satis esse si extrema duntaxat, ex quibus principia constant, sufficienter repræsententur per species, e. g. si intellectui infantis divisim & seorsim species partis, & deinde species totius offertur absq; discursu novit hoc principium:* Totum est majus suâ parte. *Et hoc sensu dicuntur principia connata.*

37. *Quæritur II.* An lex naturæ ubiq; sit eadem? *Pro parte negante videntur ex hystorijs primo adduci posse diversa diversorum populorum statuta, quale est illud Lacedæmoniorum de furto permittendo. Nam apud illos non tantum licita fuêre furta, sed & laudi ducebatur si quis cautè & astutè*

astutè furari poterat, propterea quod ingenium hoc modo acutius reddi putarunt. Plutarch in Lycurg. *Apud Scytas è contrario nullum scelus furto fuit gravius,* Justin. lib. 2. §. 2. *Draco Athenienſium legislator, de quo dixit quidam, quod leges non atramento ſed ſanguine ſcripſerit, ſanxit, ut illi quoq; qui res leviſſimas & exigui pretij furati fuerint morte punirentur. Sic nonnulli latrocinia improbarunt, quæ apud priſcos Germanos nullam habuerunt infamiam, ſi extra fines cujusq; civitatis facta, ſed potius ea juventutis exercendæ ac deſidiæ minuendæ gratia fieri prædicarunt teſte* Cæſare lib. 6. de bello Gallico. *Affirmativa tamen ſententia verior eſt, & defenditur ab Ariſtotele* 5. Eth. Nicom. c. 10. *ubi inquit: quod eſt naturâ eſt* immobile *& ubiq; eandem vim habet quemadmodum ignis qui & hic & apud Perſas urit. Audis? Naturalia ubiq; eadem, quod probari poteſt inductione. Ergo & lex naturæ ubiq; eadem. Diſtinguendum itaq; in hâc controverſia inter legem naturæ in ſe & abſolutè conſideratam, & deinde conſideratam in hoc vel illo individuo. In ſe conſiderata, vel etiam ratione totius ſpeciei humanæ eſt immutabilis & ubivis locorum eadem, licet in his vel illis individuis obſcuretur ex accidente, puta per conſuetudinum antiquitatem, educationis pravitatem &c.*

38. *Jus legittimum eſt quod legibus conſtitutum eſt, & à principio utrum hoc vel illo modo fiat nil refert, ubi verò fuerit inſtitutum refert, h. e. antequam lege conſtitutum eſt, vi obligandi & cogendi caret, quando verò ſancitum eſt omninò obligat eos quibus latum. Differt hoc jus à naturali jure (1.) quod hoc originem habeat, à natura ipsâ; illud verò ab hominibus qui illud communi conſenſu conſtituerunt, adducti probabili aliqua ratione deſumpta vel ex jure naturæ, vel aliquâ circumſtantiâ.* Golius lib. 5. Eth. c. 7. *(2.) Jus legitimum mutari poteſt imo penitus abrogari: jus verò naturæ eſt im-*

mutabile, ut paulo ante dictum. Interim tamen jus civile sive legittimum neq; in totum à jure naturali recedit neq; per omnia ei servit, sed interdum ei aliquid detrahit, interdum vero addit, ut loquitur Ulpianus lib. 1. ff. tit. 1. l. 6. *Huc traho quod* Thomas 1.2.q.94.artic.5. *dicit; quando humana lege aliquid statuitur, quod lege naturæ non decretum, ideoq; nec prius observatum, lex naturæ mutatur; intellige mutationem per additionem ut vocant Scholastici. Ipse Aristoteles non abnuit* 5. Ethic. c. 10. *ita scribens: apud Deos fortasse naturale nullo modo mobile; apud nos autem quoddam etiam naturale, quod mobile est licet non omne. Notandum tamen quod mutatio hæc legi naturæ non competat per se, & ratione communium principiorum, sed per accidens & ratione subjecti, ut antea monuimus, vel etiam ratione objecti & circumstantiarum. Sic lex naturæ vult ut suum cuiq; tribuatur, & tamen furioso non dandus est gladius ille quem jure possidet.*

39. *Solet alias quoq; dividi* jus *in* scriptum & non scriptum. Scriptum est *quod alias legale & civile indigetant: non scriptũ dicitur* cõsuetudo, *de quâ agitatur quæstio* an habeat vim legis? *Distinctè hic procedendum, adeoq; observandum discrimen inter consuetudinem vitiosam quæ rectæ rationi ac legibus contrariatur, & deinde inter bonam & laudabilem quæ congruit cum ratione rectâ. Vitiosa nullo modo vim legis habere potest, sed valet de illa* Cypriani *effatum: Frustra qui ratione vincuntur, consuetudinem nobis opponunt, quasi consuetudo major sit veritate. Unde Constantinus* l. 2. C. quæ sit long. consuetud. *ait: Consuetudinis usus q; longævi non vilis authoritas est: verum non usq; adeo valitura, ut aut rationem vincat aut legem: ubi Imperatorem de irrationabili consuetudine loqui censet* Arumæus exerc. 1. th. 21, *quasi diceret consuetudinis magnam vim esse sed legislatori authoritatem non adimere, quin liceat ei consuetudinem exigere ad notitiæ natura-*

naturales, rectamq; rationem, & vitiosam consuetudinem tollere per legem, vel legem consuetudine pravâ obliteratam iterum in lucem usumq; quasi postliminiò revocare. Laudabilis ac bona consuetudo quia à legibus tantum modo differt, quod nempe lex scripto traditur, consuetudo vero usu, ideoq; pro tacitâ lege non immerito habetur, neq; cum semel constituta & recepta est temerè mutanda nisi vel ingens utilitas aut summa necessitas mutationē efflagitet. Et quidni habeat vim legis Consuetudo, cũ scriptas leges abrogare possit ut expresse dicit l. 32 ff. de LL. inveterata consuetudo pro lege non immerito custoditur. Nam ipse leges nullâ alia ex causâ nos tenent, quam quod judicio populi receptæ sint; merito & ea quæ sine ullo scripto populus probavit, tenebunt omnes: nam quid interest, suffragio populus suam voluntatem declaret, an rebus ipsis & factis. Quare rectissimè etiam illud receptum est, ut leges non solum suffragio legis latoris, sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem abrogentur. Hactenus Imperator Julianus.

40. Potest autem jus dupliciter considerari absolutè & tunc vocatur strictum jus, vel cum moderatione & tunc dicitur Æquitas quæ legis rigorem mitigat. Nam æquitas attendit casus singulares ac circumstantias personarum locorum ac temporum, illisq; regulas juris universales accommodat, proq; tali accommodatione pœnas moderatur. Unde Aristoteli 5. Eth. c. 14. dicitur juris legittimi correctio: cujus rei causa est quod lex in universum omnis statuatur, nec fieri potest, ut rectè, de quibusdam in universum definiatur. Quando igitur lex in universum dixerit, & præter universale postea quippiam contigerit, rectè se se habet, si quâ legislator omisit, corrigatur defectus, id quod legislator ipse etiam si adesset, & si scivisset ita præscribentem legem instituisset. Ex allegatis Philosophi verbis ultrò fluit, quod æquitas præferenda stricto juri, cum summum jus summa sæpe sit injuria, nisi æquitate moderetur.

41. Justi-

41. *Justitiæ opponitur* injustitia universalis, *quâ non præstamus legibus obedientiam, ideoq; tam late patet quam vitium morale. Nam omne vitium est recessus à medio, quando autem à mediocritate receditur suum cuiq; non tribuitur.* Num quid igitur injustitia universalis non potest simul & semel uni subjecto inesse? *Ita suadet ratio firmissima, siquidē omnis virtus consistit inter duo extrema contraria. Cum itaq; injustitia universalis sit complexus omnium vitiorum, & vitia inter se sint contraria, quæ se mutuo expellunt, sequitur neminem dari universaliter injustum. Quomodo enim Euclio simul posset esse avarus & prodigus &c.*

42. *Injustitiæ objectum & effectum, pro diversa tamen consideratione est* injuria *quæ definitur violatio legis sponte & deliberato cōsilio facta, sive damnū invito ab agente proposito consilio illatum.* Numquid igitur omne damnū erit injuria? *Aristoteles 5. Eth. 10. postquam dixerat; juste vel injuste factum spontaneo vel invito definiuntur, postea damnum sive læsionem facit triplicem (1.) ex ignorantia proficiscitur, estq; duplex: nam infertur vel παραλόγως inopinatò, agente nihil tale opinante & cogitante, ut si venator volens interficere feram, hominem quem ibidem latitare ignorabat interficit, dicitur hoc damnum ἀτύχημα infortunium; vel infertur μὴ παραλόγως non præter omnem opinionem & cognitionem sed tamen ἄνευ κακίας absq; malitia, ut si quis bombardam incautè tractans, eum quem astare videt novitq; lædit, & dicitur ἁμάρτημα peccatum. (2.) Ex animi perturbatione ut ira, metu &c. Qui ex his lædunt & peccant, injustè quidem agunt suntq; hæc injustè facta, non tamen injusti ob hæc neq; pravi ipsi homines (subintellige habitualiter, aliàs revera actu sunt injusti) quippe cum læsio ipsa ex pravitate minimè evenerit. (3.) ex firmo proposito & de industria, quâ quis sciens volensq; alterum lædit, & talis læsio est propriè dicta injuria, priores vero nonnisi ex accidenti. Facere igitur injuriam est voluntarium, pati injuriam involuntarium. An ergo volenti non potest fieri injuria? Verum est, 1. voluntate rectè composita, conjuncta cum distincta cognitione, 2. voluntate plenâ. 3. volenti eodem fine quo læsio infertur.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729272885/phys_0102
DFG

Exercitationum Ethicarum

QUINTA

DE

JUSTITIA

PARTICULARI

tùm

DISTRIBUTIVA

tùm

COMMUTATIVA

Propoſita

In Illuſtri Roſarum Univerſitate

PRÆSIDE

M. JACOBO GERHARDI

S. S. Theol. Stud.

RESPONDENTE

BERNHARDO von Münſter

Roſtochienſi.

Loco horiq; conſuetis ad diem 2. Decembr.



ROSTOCHI

Typis ſuis exſcripſit Joachimus Pedanus,

ANNO M. DC. XX.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729272885/phys_0103

DFG

Thesis I.

Aut universalia prius explicari, aut idem sæpius dicere necesse est, inquit Philosophus noster 1. de part. animal cap. 4. *Quod ad genus diffusum, non debet ad speciei privatas angustias detorqueri,* Scaliger exer. 6. sect. 14. *Hanc methodi legem violare in hisce nostris exercitationibus nefas duximus, iccirco in ipso frontispicio sive primâ disputatione, præmisimus divisionem Ethicæ in partem communem quæ de communioribus & generalioribus, & in partem propriam quæ de speciebus virtutis moralis ageret, secundum quam veluti cynosuram cursum harum disquisitionum dirigere voluimus. Cum itaq; primam partem emensi, ac contemplati simus virtutis principia, ipsamq; virtutem tum consideratam absolutè & in suâ essentiâ; tum cum gradu eminentiæ, quatenus heroica virtus; tum denicq; relatè ad aliud quatenus justitia est: restat pars altera* Specialis, *quam jam auspicabimur cum Bono Deo, qui benignissimè concedere velit, ut propositum stadium inoffenso pede decurrere queamus.*

2. *Ingens Philosophorum est discidium in enumeratione specierum virtutis moralis.* Menedemus Eretriensis *(cum quo easdem inflant tibias* Zeno *sectæ Stoicæ architectus,* Plato, Socrates *&c.) putavit unam revera esse tantum virtutem, eamq; Prudentiam, quæ propter diversa objecta circa quæ versatur, diversis nominibus designetur, adeoq; nunc Fortitudo, nunc Justitia, nunc temperantia dicatur. Rationes pro hâc sententia enarrat.* Picolh. grad. 4. cap. 21. quas cap. 24. *penitus jugulat.* Cicero lib. 1. Officior *quatuor recenset*

virtutes in quibus omne honestum consistat, Prudentiam Justitiam Fortitudinem & Temperantiam. Aristoteles 2. Eth. Nicom. cap. 7. *undecim virtutis species enumerat.*

3. *In tantâ opinionum discrepantiâ ne à vero aberremus duplex status controversiæ attendendus* I. An dentur virtutes specie differentes, an vero una tantum sit virtus? II. Si plures virtutes specie & essentiâ differentes, quot sint numero, an quatuor tantum an plures? *Ad primi quæsiti primum membrum adfirmative respondemus quod nempe dentur species distinctæ virtutis moralis, & errorem ducentos & nonaginta novem pedes longum errare illos, qui unicam agnoscunt Prudentiam quæ pro diverso materiæ respectu modo justitia, modo fortitudo nuncupetur. Prudentia enim est directrix virtutis moralis non ipsa virtus, & sedem habet in intellectu non in appetitu sensitivo in quo virtutes morales hærent. Alius itaq; & quidem specie distinctus habitus à virtutibus moralibus est Prudentia.*

4. *Morales autem virtutes inter se differre essentia (1.) inde elucet quia per actus specie distinctos comparantur: Fortitudo acquiritur fortia agendo, justitia agendo justa, & sic de cæteris. Ergo & habitus per ejusmodi actus introducti erunt specie distincti. Accedit (2.) quod virtutes morales versentur circa objecta realiter distincta tum interna tum externa e. g. internum objectum Fortitudinis sunt metus & confidentia, externum autem terribilia & præcipuè mors bellica: circa hæc objecta non versatur Temperantia, sed circa cupiditatem nutrimenti & veneris &c. Annon igitur virtutes quæ agnoscunt specie distincta principia ex quibus ortum trahunt, objecta quoq; realiter diversa circa quæ occupantur, inter se specie differre dicendæ sunt? Quid quod (3.) in diversis sint subjectis seu facultatibus quas ad mediocritatem componunt? Quædam enim sunt in appetitu irascibili quædam*

dam in concupiscibili, uti mox latius diducetur. Ergo necesse est dicamus dari species virtutis moralis realiter inter se distinctas.

5. Ad secundum quæsitum de numero illarum accedimus, ubi non facere possumus cum Cicerone qui quaternarium adprobat. Nam (1.) longè plures esse virtutes quam 4. istas, à Tullio enumeratas, facile probari potest, & paulo post probabitur. (2.) Malè accenset virtutibus moralibus Prudentiã quæ in intellectu est. Retinemus itaq; sententiã Aristotelis undecim virtutes numerãtis justitiâ junctim sumptâ aliàs sunt 12. Ratio numeri à Philosopho quidẽ non traditur, dari tamen potest Nã appetitus cui virtutes tanquã formæ moderantes inhærent duplex est, Concupiscibilis & irascibilis. In concupiscibili est virtus quæ vel immediate circa voluptatem & dolorem prout in alimentis & venere reperiuntur occupata est, & dicitur Temperantia; vel versatur circa earundem voluptatum instrumenta quæ sunt divitiæ, circa quas acquirendas versatur Justitia commutativa; circa easdem erogandas & quidem mediocres versatur Liberalitas, circa magnas Magnificentia. In appetitu irascabili sunt virtutes quæ circa honorem circa quem (1.) absolutè consideratum immediatè, si mediocris fuerit, versatur Modestia, si magnus Magnanimitas (2.) Circa medium quo vel paratur vel conservatur honor occupata est Fortitudo. (3.) Virtus occupatur circa honorem consideratum relatè ad aliud sive in conversatione civili, quod fit tripliciter (1.) versatur in actione nostra erga alios, ut in distributione honorum &c. quam moderatur Justitia distributiva (2.) in actione aliorum erga nos, quatenus nos lædit &c. circa quam Mansuetudo (3.) in conversatione tum seria tum jocosa. In illa vel seria peragenda, circa quæ Humanitas: vel referenda, quibus præest Veracitas. In joçosis mediocritatem servat Urbanitas.

6. Circa hanc enumerationem notari volumus I. quod non omnes virtutes inter se completâ specie differant, si scilicet terminum specie differre stricte quis sumere velit, ut faciunt Metaphysici. Patet hoc in Modestia & Magnanimitate, Liberalitate & Magnificentia. Nam Magnificus à Liberali in eo differt, quod ille circa magna, hic circa parva versetur inquit Arist. 2. Eth. c. 4. hoc est, versantur circa idem objectum, gradu tantum distinctum. Confer. cap. 4. lib. 4. Eth. Nicom. II. quod specialia virtutum nomina ut sunt Castitas, Sobrietas, Abstinentia, hospitalitas &c. referri debeant ad virtutem principalem & cardinalem sub quâ tanquam partes continentur. III. Nos hoc loco posuisse solummodo numerum virtutum perfectarum non imperfectarum quas semivirtutes propterea vocant, sed harum considerationem ad finem nostri cursus reservare. IV. Ordinem hic esse arbitrarium cum una virtutis species ab alterâ non pendeat. Iccirco nemo nobis vertet vitio quod specialem virtutum moralium doctrinam à Justitia particulari inchoare velimus.

7. Dari justitiam, quæ quasi pars est integræ illius & universalis ut loquitur Aristoteles 5. Ethicor. c. 4. idem eodem loco probat, quia datur injustitia particularis. Nam quando quis πλεονεκτεῖ plus usurpat pravitate quâdam agit, cum vituperetur. At πλεονεξία non potest referri ad aliquam pravitatem sive vitium reliquis virtutibus oppositum, siquidem qui alia pravitate operatur, licet injuste agat, nihil tamen amplius usurpat, cujusmodi exempli causa est, qui aut abijcit scutum ob ignaviam, aut aliquem ob acerbitatem maledictis infectatur, aut ob avaritiam pecunijs non juvat, h. e. πλεονεξία non potest referri ad ignaviam, non ad avaritiam, non ad Maledicentiam, neq; ullum reliquorum vitiorum. Ergo non est idem cum Injustitia universali, sed est quæ-

quædam ejus pars. Si igitur datur injustitia particularis danda quoq; justitia quæ pars sit. At verum est illud. Ergo & hoc. Vide plures probationes in textu.

8. *Justitiam particularem* Aristoteles cap. seq. 4. *facit duplicem* Distributivam & Commutativam, *quarum illa in distributione præmiorum, puta honoris, pecuniarum &c. & pœnarum versatur; hæc vero in commercijs hominum emendandis occupata est. Differunt itaq; binæ hæ particulares justitiæ* (1.) actionibus: *distributivæ enim actio est distribuere, commutativæ autem commutare.* (2.) objectis: *distributiva enim magis circa publica & communia, ut quando in Republicâ, in exercitu honores distribuuntur &c. commutativa circa res cujusq; permutantis privatas versatur. Unde* (3.) *distributiva propriè competit,* personis publicis *& magistratum gerentibus cujus proprium est distribuere honores & præmia, nec non pœnas sontibus infligere: commutativa magis convenit personis privatis, qui negotiari & commutare commodius possunt.* (4.) *deniq; etiam in eo differunt quod non servent eandem proportionem. Distributiva enim Geometricam: Commutativa Arithmeticam observat.*

9. Justitia *igitur* distributiva *est virtus quæ in distributione præmiorum & pœnarum proportionem servat Geometricam, habitâ scilicet ratione meritorum, ut unicuiq; pro merito suo tribuatur. Objectum itaq; hujus virtutis duplex est nempe* malum *&* bonum externum. *Duplices enim sunt homines circa quos exercenda justitia, quidam boni sunt, quidam mali: illis debentur præmia quæ sunt vel honores, dignitates, officia, vel opes & divitiæ; his pœnæ debentur & castigationes. Unde dividitur justitia distributiva in* remuneratívam *&* punitivam.

10. *In tali vero distributione præmiorum pœnarumq; servat proportionem Geometricam, considerando tum facta & merita*

merita tum ipsas personas. Nam in justitia remunerante requiritur præcedens actio honesta, ac meritum. Propter desidiam enim nemini confert honores aut opes, siquidem hujusmodi nihil debetur: justitia autem suum *cuiq; tribuit. Quando itaq; gratis dona in aliquem effundimus, actio non ex justitiâ sed Liberalitate proficiscitur. Deinde merita inter se quoq; conferenda, cum factum quo est præclarius eo majore dignum sit præmio. Sic Romani in distributione præmiorum milites & merita eorum inter se conferebant, & alios alijs donarunt coronis. Hinc ortæ variæ militares coronæ, triumphalis obsidionalis, civica, muralis, castrensis, de quibus videatur* Agellius lib. 5. Noct. Atticar. cap. 6. Alexander ab Alexandro lib. 4. genial. dier. cap. 18.

11. *Eadem Geometrica proportio servatur in Justitiâ punitivâ, quæ delictum gravius pœnâ graviore punit. Iccirco considerandæ venit (1.) delicti* causa efficiens: *nam duo cum faciunt idem non est idem. Majores nostri in omni supplicio severius servos quam liberos punierunt ait* l. capitalium 28. §. ultim ff. de pœnis. *Ita presbyteri gravius puniuntur sæpe quam laici* l. presbiteri 8. C. de Episc. & Cleric. *Cui enim plus commissum ab eo etiam plus exigitur.* (2.) efficiendi modus, *siquidem sponte an invite fecerimus multum refert, ut inquit Philosophus* 5. Ethic. cap. 7. (3.) Objectum. *quod peccatum intendere potest, ut si magistratum gerentem quis percusserit, non solum est percutiendus sed supplicio insuper afficiendus inquit* idem loco citato. *Ita si quis colaphum impingit civi & consuli, rustico & Principi licet æquè gravis fuerit uterq; colaphus, non tamen in pœnis est servanda proportio Arithmetica; gravius enim est delictum verberare magistratum quam privatum hominem Ergo gravior quoq; debet esse pœna. (4.)* Circumstantia loci, *quæ delictum variat. Gravius enim peccat qui in loco privilegiato*

alium

alium percutit, quam si hoc fecisset in alio loco. (5.) *Frequentia: Nam crescentibus delictis pœnæ quoq; sunt exasperandæ, quod factum in pœna furti de quâ paulo post. Imo etiam ratione ejusdem individui gravius punitur qui sæpius eadem commisit, quàm qui semel tantum* l. capitalium 28. §. grassatores 10. ff. de pœnis.

13. *Inquiat aliquis, frustra nos esse sollicitos de justitia punitiva, siquidem talis est quæ Christianum Magistratum non decet. Fateor hunc esse non dicam errorem, sed furorem* Anabaptistarum *qui Magistratum Politicum cum omnibus suis officijs radicitùs convulsum, eversum, sublatumq; discupiunt. Nam* Petrus Kelsicensis, (*teste* Possevino in examine sectæ Pikardicæ) *expressè scripsit; Magistratum in veteri tantum Testamento locum habuisse, in Novo autem longè aliam esse rationem Ecclesiæ, ac proinde Christianum neminem bonâ conscientiâ fungi posse Magistratu;* neq; judicijs opus esse; nec fures, nec latrones in vincula conijciendos aut plectendos esse.

14. *Hunc Anabaptistarum errorem moderni* Photiniani *recoquunt & hodie in Ecclesiæ proscenium reducunt, quanquam novo æstu incrustatum. Concedunt enim omnem Magistratum esse à Deo, ac Christianum posse magistratum gerere, ut loquitur* Ostorodus in Instit. Germanic. cap. 28. p. 182. & 183. Smalcius in refutat. thesium D. Frantzij pag. 387. *Interim tamen improbant omnem vindictam injuriarum non tantum privatam sed etiam publicam quæ fit à legittimo Magistratu. Ita enim* Catechismus Racovienſis p. 197. Was hat der HErr Christus mehr zu dem gebot (du solt nicht tödten) gethan? Er hat alle Rache verboten/nicht allein durch vns selbst/ sondern auch durch die Obrigkeit: Also/ so vns jemandt beschedigte es were an vnserm Leibe/ oder an Gütern/ oder an Ehre/ das man bereit sey vielmehr noch einen andern schaden zuleiden

als sich zurächen. *Hanc absurdam opinionem conantur probare ex* cap. 5. Matth. v. 39. *Ne resistite malo; sed si quis te percusserit in dextram maxillam, præbe illi & alteram, & ei qui tecum vult in judicio contendere & tunicam tuam tollere, dimitte illi etiam pallium.*

14. *His deliramentis masculè se opponunt nostri Theologi, ex quibus illud hoc loco tantùm probabimus, quod Magistratus puniens sceleratos rectè faciat. Hoc enim à Deo severissimè mandatum* Exod. 22. v. 18, *præstigiatricem ne sinito vivere.* Deut. 19. v 13, *Ne parcito ei &c. Magistratus est Dei minister, propterea* gladio *armatus, ut malum exscindat* Rom. 13. v. 4. *Et quid multis? Apostolus Petrus* 1. Petr. 2. v. 14. *expresse ait, præsides à Deo mitti ad vindictam facinorosorum & laudem bonorum. Ergo pœnarum & præmiorum distributio tanquam à Deo mandata Christianum Magistratum non dedecet.*

15. *Locus* Matth. 5. v. 39, *Photinianorum opinioni ne tantillum patrocinatur.* Duplex *enim est* vindicta *alia* privata, *alia* publica: *illa ex affectu privato proficiscitur tenditq; ad oppressionem & perniciem adversarij, quæ cum sit contraria charitati Christianæ est prohibita* Matth. 5. v. 39. Rom. 12. v. 17. & alibi: *hæc vero absq; pravo affectu per Magistratum fit, bono fine, & est in sacris mandata ut constat ex thes. 14. Cum itaq; aliud sit malum injuriarum quod inter privatos locum habet, aliud malum manifestæ improbitatis & conscelerationis vitæ morumq;, & de priore loquatur locus Matth. 5. quis non videt adversarios committere sophisma* περὶ τὸ πῆ καὶ ἁπλῶς, *ut rectè monet* D. Hutterus in LL. CC. loco 23. c. 1. *Non enim valet: in dicto Matth. 5. est prohibita privata vindicta. Ergo omnis, adeoq; publica etiam.*

16. *Pulchrè hanc responsionem deducunt* Theologi Wittenbergenses in refutatione Cathechismi Racovien-

sis.

is germanicè editâ pag. 355 *quorum verba, in latinum sermonem translata allubescit hic adponere: quod Christus, inquiunt, Matth. 5. docet, huc non quadrat, sed spectat privatam vindictam, de quâ Pharisæi & Scribæ Legem Mosis Levit. 24. v. 20. oculum pro oculo, dentem pro dente &c. falsò interpretabantur. Nemo debet intra sese cogitare, quod mihi fecit vicissim illi faciam, sed potius duplum damnum & injuriam perpeti, quam per seipsum injurias ulcisci; & hoc est, si quis percusserit te in dextram maxillam, præbe illi etiam alteram. Et præstat omninò cum proprio damno potius privatim lites componere, quam coram judicio diu, cum maximo impensarum dispendio litigare; & hoc est pallium quoq; dimittere ei qui abstulit tunicam. Verba itaq; Christi partim de privata vindicta sunt intelligenda, partim* comparatè *respectu damni gravioris, in quo casu etiam legittimas forenses actiones intermittimus. Illud itaq; dictum non prohibet causam suam coram judicio agere multo minus jubet, ut permittamus quemlibet facinorosum facere quod lubet ei, aliàs mox idem facturi essent alij, & sic tandem pauper in totum denudaretur, ac cunctis bonis suis privaretur &c.* Vide Chemnit. tom. 2. LL. CC. de vindicta. Forsterum in thesauro Catechetic. decad. 3. problem. 4. Meisner. in consideratione Theolog. Photinian. cap. 3. membr. 1.

17. *Porrò ad justitiam distributivam referunt Ethici,* jus talionis, *secundum quod quis patitur illud quod alteri fecerat: unde Pythagoræis dictum est ἀνταπόδοσις quasi* jus repassionis. *Dividitur autem in* simplex *&* analogicum: *illud jam definitum quod secundum illud quis simpliciter patitur id quod alteri fecit, & hoc in justitia distributivâ locum non invenit, siquidem in eâ est habenda ratio personarum aliarumq; circumstantiarum, propter quas non semper potest fieri æqualis retributio: hoc vero quia consistit in æqualitate non*

simplici sed analogicâ & proportionali personarum ac rerum summè utile summèq; necessarium in vitâ humanâ.

18. Oppositum justitiæ distributivæ, *prout reliquarum virtutum omnium, est duplex, alterum in excessu, in defectu alterum, quæ duo vitia Aristoteles unicâ voce* Injustitiæ *exprimit. Injustus enim unicâ actione dupliciter peccat. Nam cum uni facit injuriam minus ei tribuendo quam debebat, necesse est ut eodem actu vel sibi vel alteri plus tribuat quam par est. In actione itaq; injusta hæc duo semper simul concurrunt, nimirum, facere injuriam, quod est τὸ πλεὸν ἔχειν, & injuriam pati quod est τὸ ἔλαττον ἔχειν minus habere* Arist. 5. Ethic. c. 9.

19. Justitia commutativa *est virtus quæ in contractibus rerumq; privatarum permutatione servat proportionem Arithmeticam. Hæc quoq; virtus est sudes in oculis* Anabaptistarum, *qui omnes contractus, emtiones & venditiones, negotiationes & mercaturam hominem Christianum non decere somniant. At nullibi (1.) interdicta in sacris invenimus mercimonia, (2.) Deus ea adprobat* Proverb. 11. v. 1. *(3.) certas contractuum formas præscripsit* Deut. 15. v. 2. & 12. *(4.) Christus ipse comparat Evangelium suum cum mercibus* Matth. 13. v. 45 *(5.) &* Jacobus cap. 4. v. 14. *non taxat negotiationes sed tantum hortatur mercatores, ut in negotijs suis sibi revocent in memoriam quod sint mortales &c.*

19. Objectum *itaq; proximum commutativæ justitiæ sunt* contractus emtio & venditio: *remotum sunt omnes res de quibus homines inter se contrahere possunt. In his autem contractibus nullus planè personarum respectus attenditur, sed tantum rerum commutandarum. Sic cerevisiarius emens hordeum à rustico, non propterea vilius pretium in tali permutatione illi dare debet, neq; plus nobili si cum eo contrahat, quod rusti-*

rusticus ipso sit inferior, nobilis autem superior, sed rerum æqualitas & proportio Arithmetica servanda, & pretium debet valori rerum correspondere, ita ut neutra pars possit de lucro gloriari aut de damno conqueri.

21. *Ut proportio hæc Arithmetica servetur, non facit æqualitas rei in quantitate (licet Logicè loquendo res ratione quantitatis dicantur æquales vel inæquales) sed in qualitate h. e. dignitate & caritate. Nam si quantitatis æqualitas observanda, studiosi hic ementes ligna à navitis æqualem pecuniæ quantitatem dare tenerentur, unde illis crumenales exenterationes metuendæ; hi vero albæ gallinæ filij putandi essent. Non minus fælices forent qui lapides molinarios calcemq; huc adportant, siquidem tota navis esset auro explenda. Cum itaq; hoc modo altera contrahentium pars ad summam egestatem redigi possit, æqualitas quantitatis in contractibus respuenda, nisi habeat conjunctam æqualitatem dignitatis, quod raro fit, & si fit, non illa sed hæc in permutatione principaliter attenditur, utpote cui justitia innititur.*

22. *Quid ergo faciendum si res permutandæ fuerint inæqualis dignitatis. Resp. tantum pretij vel tantum in quantitate addendum rei viliori, quantum superatur excediturq; à digniore. E. c. rusticus ad cerevisiarium 12. modios hordei adfert illosq; vult permutare cum cerevisiâ. Instituenda hic est comparatio, inter pretium unius modij hordei, & tinæ cerevisiæ, quod si pretium unius tinæ cerevisiæ, quintuplo superat pretium modij hordei, oportet quintuplo plus hordei in quantitate dare rusticum. Itaq; justa erit permutatio inter 6. modios hordei, & tinam cerevisiæ. At quia rusticus 12. modios frumenti attulit, iterum binas tinas auferre debet: Si vero ternas petierit, pretium unius tinæ frumento suo addere debet, & sic iterum justa erit commutatio.*

23. *Causa & origo permutationum est* indigentia. *Nam si nullâ re indigerent homines, efficeretur ut nulla esset omnino permutatio, inquit veritatis Genius* Aristoteles 5. Eth. c. 8. *Sic quia in hisce terrarum oris natura aromata nobis denegavit, impiger extremos currit mercator ad Indos. Hinc* Aristoteles l. c. *dicit indigentiam omnia continere, h. e. esse vinculum humanæ societatis, quo colligatur & continetur. Eadem indigentia est mensura æqualitatis in permutatione. Nam permutatio non erit, nisi æqualia omnia quodammodo inter se sint: oportet igitur ut uno quodam commensurentur: at id revera est indigentia,* Arist. l. c.

24. *Si itaq; quærat aliquis,* quis sit legittimus rerum taxator? *Respondet Aristoteles,* indigentia. *Rectè! quo major est indigentia rerum utilium & necessariarum, eo major valor constituendus. Hinc fit quod cerevisiæ pretium apud nos non possit adæquari vini pretio, cum hujus major indigentia apud nos quam illius. Contra apud Italos & alios populos quibus natura vini copiam largita est, carior est cerevisia. Non itaq; permittendum mercatoribus, ænopolis, cerevisiarijs &c. rebus statuere prætia pro libitu, quorum animos insatiabile habendi cacoëthes occupavit. Negari tamen non potest inæstimatione rerum esse perpendendum an carius an vilius merces illas æquisiverint ipsi mercatores, item quo labore, periculo &c.*

25. *Medium permutationis quod in locum indigentiæ successit est* nummus, *qui commensurabiles quoq; inter se efficit res, atq; adæquat* Arist. l. c. *Cum enim mercator indiget illis mercibus quas alter cum eo permutare cupit, succedit in ejus locum nummus, quo alter quibus indiget sibi comparare potest. Ut si ex Daniâ quidam huc veniens bona sua ut pisces arefactos, carnem salitam &c. permutare velit cum cerevisiâ Rostochiensi; tum mercator qui destituitur cerevisiâ*

ejus

ejus loco cogitur conferre pecuniam, pro quâ alter sibi comparare potest quodcunq; ei placuerit.

36. Cum justitia commutativâ proportionem Arithmeticam servet, quæritur an vitia occulta rei vendendæ indicare teneatur venditor? *Mercatores & mangones cum alteri fucum fecerunt, ac merces vitiosas, artificiosè vitia subticentes vel extenuantes, subtruserunt, si damni recompensatio ab illis postuletur communiter quasi re benè gestâ respondere solent,* er hette Augen vnd den hellen Tag. *At pugnat hic mos cum legibus justitiæ commutativæ quæ vult servari æqualitatem inter rem & pretium. Quomodo autem hoc fieri potest si vitia & defectus rerum occultentur, & emptor illas majoris dignas valoris existimans plus persolvat quam justitia requirit. Annon venditor plus accipiens, & emtor minus quam ei debetur contra justitiam peccat? Omninò.*

27. Annon ergo quis potest rem suam pluris vendere quam revera valet? *Et hoc pugnat cum justitia commutante, quæ simpliciter requirit æqualitatem rei ac pretij, quæ tollitur cum venditor bona sua carius divendit quam est earum dignitas, sicq; proximus defraudatur. Etsi autem hoc summa sit injustitia, tamen admodum frequens hodiè in mercatura hoc vitium, ut optandum sit morem Thurianorum populorum, apud quos venditor cogebatur publicè jurare apud Magistratum quod non pluris rem æstimaret quam debebat, apud nos quoq; introduci.*

28. Sed annon licet rem ab alio minoris emere quam valet? *Fit interdum, ut quis pretium justum suarum mercium vel propter artis imperitiam, vel metu quod illas diu retinere cogatur, si præsentem vendendi occasionem neglexerit, vel alio errore compulsus, minoris æstimet ac venundet. Par autem est hoc in casu emptorem justitiæ viam prensare, neq; minoris quam valet bona alterius emere. Quâ in re verè he-*

ros

res fuit Q. Mutius Scævola, qui cum fundum emere vellet, ac legitimum pretium sibi indicari peteret, idq; venditor fecisset, dixit Scævola longè pluris se æstimare fundum istum addiditq; centena millia, referente ex Rutilio, Keckermanno Systema. Eth. l. 2. c. 5. & Curs. Philos. disp. 20. problem 9. Ubi hodiè inter Christianos similes reperiuntur? Apparent rari nantes in gurgite vasto.

29. Si vero accidat injustam fieri commutationem, an injustius agit qui plus dat quam qui plus accipit? Uterq; quidem non caret injustitiæ labe, & qui plus dat & qui plus accipit: illeerga seipsum siquidem cum quis alteri quam sibi plus distribuit sponte & sciens is se ipse injuria afficit; id quod facere modesti homines consueverunt dicente Arist. 5. Eth. cap. 12. hic erga alium quem plus accipiendo defraudat. Si vero comparatè quæstio instituatur uter sit injustior, rectè respondet Arist. loco citato eum qui plus dat. (1.) ille est injustior, ex quo principium injustæ actionis proficiscitur, quod sane in distribuente non in accipiente consistit: si enim ille non distribueret plus quam æquum est, alter non posset plus accipere. Secundum quid itaq; distribuens est fons & origo quod alter accipiendo peccet. (2.) distribuens magis liberè agit quam accipiens, siquidem hic accipit non quantum vult, sed quantum ei datur, ille vero potest plus minusve distribuere. Notandū tamē dantem plus peccare si hoc faciat sciens volens q; : si vero coactè & per imprudentiam, magis peccat qui accipit. Cum igitur quis alteri pecuniam numerans plus ei tribuit ex ignorantia, gravius peccat qui superfluam pecuniam tacitè retinet.

30. Pertinent huc USURÆ de quibus non tantum inter Philosophos sed & JCTOS ac Theologos gravissima agititatur quæstio an sint liticæ? Pro utraq; parte acerrimè pugnant Philosophi ac Theologi non infimi subsellij. In prima acie negantium collocamus Philosophum nostrum qui lib. 1. Polit.

Polit c 9. & 10. *aliquot rationibus numulariam reijcit, dicitq; illam non esse secundum naturam, & propterea merito improbandam, adeoq; eam rationabilissimè odio haberi, supra quem locum Aristotelis* Casus in sphæra civit. *aliquot argumentis eandem oppugnat.* Imperator Alphonsus *fœnus vocabat funus animæ.* Solon & Lycurgus *usuras planè exterminarunt*, Plutarch. Cato lib. de re rustic. *inquit: Majores nostri sic habuere, furem duplo fœneratorem quadruplo puniri debere.* Bodinus lib. 5. de Republic. mihi p. 826. *omnes in universum usuras lege divina prohibitas statuit, dicitq; tutius esse usurarum non modo radices sed & fibras omnes amputare. Hinc enim fit ut fœnoris cupiditate mercatura jaceat, opificia negligantur, argicultura sordescat, pecuaria deseratur & c. In sacrâ scripturâ quoq; expresse sunt prohibitæ ut videre est* Exod. 22. v. 25. Deut. 23. v. 19 Psal. 15. v. 5. Ezech. 22. v. 12. *& multis alijs in locis. Accedit quod in linguâ sanctâ ejusmodi nominibus appelletur* usura, *quæ satis indicant illam esse illicitam. Dicitur enim* נֶשֶׁךְ *à* נָשַׁךְ *quod propriè sumitur pro morsu serpentis ut ex* Gen 49, 17. Amos 5. v. 19. cap. 9. v. 3 patet. *Unde* Chrysostomus super cap. 5. Matt. *dicit usuram esse similem morsui aspidis, quo substantia & facultates proximi arroduntur.* Lutherus *ait usurarios esse aspiciendos ut* incarnatos diabolos in homil. de usur. Philippus Melancht. in Catechesi puerili explicat. 7. præcepti, *usuras definit, quando in mutatione paciscimur, ut aliquid supra sortem nobis propter ipsam mutuationem detur, illasq; dicit esse injustas, quia exigitur non debitum. Improbat quoq; usuras* Selneccerus part. 1. pædagogiæ Christianæ in explic. septimi præcepti Chemnit. in LL. CC. part. 2.

31. *In difficillimâ hac quæstione determinandâ præeunte* D. Forstero in thesaur. Catechetic. decad. 3. problem. 2. Nicolao Hunnio disp. Ethic. 3. *distinguimus inter personas*

quæ

quatriplicis ordinis. Nam debitor aut est (1.) pauper, & vel simpliciter talis ut mendicus qui vel morbi vel senectutis vitio manuum labore sibi necessaria conquirere non potest; vel secundum quid, qualis is qui integras quidem habet vires corporis, tamen est tenuioris conditionis ac fortunæ, adeoq; alienæ opis ac subsidijs summè indigus, tum quia pertimescit universæ rei familiaris dispendium, tum quia à creditoribus urgetur ad solvenda debita, vel aliquod aliud grave malum ei impendet. Et hic est debitor cui pecunia mutua est necessaria. (2.) debitor est cui ad vitam necessaria quidem supetunt, interim quia honestis mercimonijs operam dat, ut illa commodius & majori cum emolumento possit exercere, pecuniam ab alijs mutuo petit. Huic pecunia est utilis. (3.) datur debitor, qui licet non opus habeat ullius pecuniâ ad rem ullam tamen ut eo magis lucrari possit, pecuniam ab alijs mutuo accipit, quæ illi est lucrosa.

32. Simili modo & creditor triplex est (1.) cui ipsi necessaria pecunia, ut citra notabile damnum illam committere alteri nequeat. (2.) cui utilis, h. e. cujus res familiaris absq; illâ pecuniâ quidem conservari potest, sed tamen si ipsemet in commercijs exercendis uteretur ea, rem familiarem augere posset. (3.) cui lucrosa, adeoq; quâ res familiaris non augetur nisi in superfluis. His premissis dicimus: Si creditor sit cui ipsi necessaria pecunia, & debitor sit pauper primi ordinis sive mendicus, ei non mutuum dandum, sed eleëmosyna eroganda adeoq; nihil repetendum; sin autem sit secundi ordinis, ab eo potest usuras sumere, siquidem creditor & debitor in eo sunt pares quod utrig; necessaria sit pecunia illa. Cum itaq; talis creditor se ipsum suamq; rem familiarem periculo exponat, ut sua pecunia alterum juvet, omninò ei debetur recompensatio. Nam I. benefaciendum quidem alijs, sed ita tamen ne

ne nobis sit afflictio illis relaxatio 2. Cor. 8. v. 13. II. Benefaciendum est proximis, sed non cum detrimento suorum, quorum prior ratio habenda, juxta illud Apostoli 1. Tim. 5. v. 8: Si quis suis & maxime domesticis non providet, fidem abnegavit, & est infideli deterior. Si autem debitor sit secundi aut tertii ordinis cui pecunia sit tantum utilis & lucrosa, is non facilè petet pecuniam ab eo cui ipsi necessaria, & hic petenti non dabit, si autem fiat, cur non multo magis ab his usuram acciperet quam à priori?

33. Si porro creditor sit secundi ordinis, cui æs utile, & mutuum dedit debitori primi generis sive mendico, neq; usuram neq; sortem repetere debet sed cogitare, esse eleëmosynam; sin autem dedit pauperi secundi generis, qui non est mendicus, cui tamen res angusta domi, ut absq; nostro subsidio familiam sustentare nequeat, ab eo nullas usuras petere permittit charitas, siquidem per talem accommodationem alteri est relaxatio neq; illi tribulatio. Adde, si à tali usuras repeteret, nihil proficeret per istam accommodationem, sed magis magisq; deficeret. Quodipsum potest eleganter hoc declarari exemplo: si e.g. debeat Titius Sempronio 100flor: hic vero vel debitum reddere, vel omnium suorum bonorum auctionem facere jubet, aut cogit etiam; quo malo ut Titius liberetur, petit abs te centum florenos. Si tu usuram repeteres (quas ille ob egestatem solvere nequit) elapso anno aggravatum ac sensibiliter adauctum fuisset debitum, ut qui antea 100 duntaxat, nunc 105 aut 106, aut 108 flor deberet. Quænam inde esset pauperi relaxatio? Certè hoc est pauperem contra præceptum charitatis opprimere non levare. A debitore vero cui æs utile, item cui lucrosum usuram petere suadet æquitas.

34. Deniq; si creditor tertij ordinis cui pecunia lucrosa is debitori pauperi primi generis, identidem eleëmosinam

debet, nihil inde repetens; à paupere secundi generis similiter nihil repetere debet neq; usuram neq; sortem, sed cogitare illud Christi Luc. 6. v. 35. mutuum date nihil inde sperantes. A debitore *cui pecunia* utilis *quoq; non modo nihil exigere, sed nec oblatum accipere debet, siquidem ille absq; ullo suo incommodo proximi commodum promovere potest, cum quod facit ex abundantia facit. A debitore vero cui æs lucrosum, petere usuram licet. Etenim cum ille omni rerum abundãtia adfluat, ac nullis plane indigeat, cur non partem ejus quod suâ pecunia lucratus est ab eo repetere debeat.*

35. *Distinguenda deinde venit usura, quæ triplex* (1.) lucratoria *& mordens, quæ propriè & strictè usura dicitur, estq; talis actio qua bona & facultates proximi atteruntur & eraduntur* (*quod indicat vox Hebræa* נֶשֶׁךְ *à* נָשַׁךְ *quod propriè est abradere & atterere: unde &* Baldus *usuram comparat teredini i. e. vermiculo qui in atterendis & erodendis lignis occupari solet*) *ita ut ipse ex mutuo non relaxationem, sed afflictionem sentiat. Hæc usura est charitati Christianæ contraria, & lege divinâ severissime prohibita, quo spectant loca superius thes. 30. allegata. Imperatores quoq; Diocletianus & Maximilianus, creditoribus improbum fœnus exercentibus infamiæ notam inurere censuerunt* l. improbum fœnus 20. C. ex quibus causis infam. irroget. *Vide etiam* l. placuit ff. de usuris, *& quæ* Gothofredus *ad illam legem annotat.* (2.) Punitoria *quæ à magistratu tanquam mulcta debitori irrogatur ob moram in solvendo* l. mora 32. §. 2. ff. de usur. (3.) recompensatoria *cum pro pecuniæ usu pretium retribuitur, quod tamen modum legibus præscriptum non excedat, nempe quantitatem V. florenorum. Hæc enim quantitas constitutionibus Impp. Maximiliani I. Anno 150. Caroli V. Anno 1530, nec non electoralibus approbata & omnibus*

mnibus permissa, de quâ re cum prolixius disputent ICTI videri possunt.

32. Oppositum *est* injustitia commutativa, *quâ vel minus justo pro rebus solvitur, vel pretium iniquum illis imponitur, vel cum merces adulterantur (ut quando vinum Francicum miscetur cum Rhenano &c.) vel mensuræ ac pondera iniqua adhibentur. Pertinet item huc rapina & furtum, de quo posteriore pauca adjicere placet. Definitur autem* furtum contrectatio fraudulenta invito domino, lucri faciendi gratia, vel ipsius rei alienæ vel usus ejusdem l. 1. §. 3. ff de furt. *In Theologia furtum est, quod cogitatione & interiori cordis concupiscentia concipitur; hinc dicuntur è corde exire furta* Matth. 15. v. 19. *ICti autem & Philosophi externam duntaxat actionem considerant, iccirco definiunt furtum per externam actionem nempe contrectationem: inde sola cogitatio furti faciendi non facit furem* l. inde sola 1. §. 1. l. siquis 52. §. neq; verbo 19. ff. de furtis. l. fugitivus 225. *de* verb. sign. *adeo ut licet conclave ædesq; furti faciendi causa intravit, nec tamen contrectet nondum fur sit* l. vulgaris 21. §. qui furti faciendi 7. ff. de furt. *Contrectatio autem non debet esse nuda sed fraudulenta quâ dominus invitus re sua exuitur. Per rem alienam intelligimus (1.) substantiam (2.) quantitatem ut si pars ponatur pro toto, dimidium pro integro, item si falsitas in numero, pondere mensura &c. (3.) qualitatem, malum & corruptum pro bono, vetus pro novo &c. Additur rei usus; nam licet potestatem contrectandi quis habeat, tamen si in alium usum transferat quam cujus gratia ei data est furti tenetur, ut patet exemplo commodatarij* l. 54. §. 1. ff. de furt. *sartoris aut fullonis* l. fullo 82. ff. de furt. *Deniq; adjicitur lucri faciendi gratia, lucrum enim est finis furti. Benè autem notanda vox gratia; excludit*

enim exceptionem quam fur prætendere posset, illud furtum in rem suam non esse versum.

30. *Pœna furti pro varietate gentium fuit varia, quam varietatem nos sicco pede præterire cogimur propter chartæ angustiam. Si quis illam cognoscere havet adeat* Bodinum de Republ lib. 6 cap. 6 mihi pag. 1200. Agellium lib. 11. Noct. Attic. cap. 18. Kecker. disput. 33. problem. 2. Curs. Philosoph. Confer thesin 37. præcedentis exercitationis. Carolus V. in constit. crim. art. 157. & seqq. *pœnam furti capitalem fecit, ac constituit ut fur qui ultra 5. solidos, i. e. aureos ungaricos ut interpretatur* Geil. 2. obser. 39. *furatus ultimo supplicio afficeretur &c. Quæri hinc cæptum* an justa sit furti pœna capitalis? *Negativam tuentur quamplurimi Politici, Jurisconsulti & cum his Theologi Calviniani, aiuntq; illam contrariari (1.) legi divinæ quæ non jubet fures capitali pœna afficere, sed illos reddere duplum, quadruplum, quintuplum ut patet ex* Exodi 22. v. 1. *(2.) naturali æquitati siquidem nulla proportio inter delictum & pœnam sive inter furtum & hominis vitam est.*

31. *Nos putamus justam esse pœnam furum capitalem. Rationes qui desiderat, illas inveniet apud* D. Meisnerum part. 1. Philos. Sobr. cap. 4. q. 3. *Nos duntaxat pauca ad producta in medium argumenta reponemus ac probabimus illam pœnam non esse contrariam (1.) juri divino, neq; (2.) juri naturali. Ad I, cum dicunt non factum hoc in V. T. quod fures vitâ punirentur, indeq; concludunt, quando hodie fit contrariari illud Legi divinæ, (1.) respondeo id quod* Paræus in notis ad thesin 15. D Hutteri de syncretismo fidei & religionis inter Calvinianos & Lutheranos, *ubi quia Hutterus urget, talem Syncretismum contrariari praxi Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ, ne-*

gat

gat hoc Paræus inquiens: Si Ecclesia aliquando fecit, praxis conveniet: si non fecit non erit contraria sed diversa.: Factum enim non facto non contrariatur, quia fieri potuit & non potuit diverso tempore. Applicent Calviniani hæc Parei verba ad præsens negotium & habebunt responsionem, quam in dubium vocare non poterunt, nisi ingenuè fateri voluerint, Goliathum suum in illis chartis insubidè cornicatum fuisse. (2.) licet Deus in lege restitutionem quadrupli & quintupli constituit, tamen hanc & alias leges forenses reliquit in manu Judicum, ut sententiam pro ratione circumstantiarum aggravare vel minuere potuerint. Patet hoc ex lege de pœna furti Exod. 22. quæ tantum postulat quintuplum. At progressu temporis judicio Seniorum aggravata fuit hæc pœna, ut si fur deprehensus redderet septuplum & omnem domus suæ substantiam, ut disertè est Proverb. 6. v. 31. (3.) In ipso V. T. pœna furti in capitalem demigravit. Ad quod probandum Dn. D. Meisner. in Philos. Sobria. & Dn. D. Affelmannus Præceptor noster æviternum colendus, in disput. de hæreticis ferendis non auferendis thes. 52. adducunt judicium Davidis 2. Sam. 12. v. 5. qui cum Nathan Propheta ei exposuisset, quod dives quidam pauperi unicam parvulam ovem suffuratus fuisset, sic judicat: vivit Jehova, filius mortis est ille qui hoc fecit, & v. 6. agnam quoq; ipsam rependat quaduplam, h. e. etiamsi quadruplum reddiderit tamen mortis reus est. II. quod pœna hæc non contrarietur æquitati naturali patet ex thesi 12. ubi diximus æquitatem inter factum & pœnam etiam desumi à quantitate discreta multitudine sc. & frequentia. In his nos acquiescimus plura qui desiderat Meisnerum loco citato consulat.

Corol-

Corollaria.

I.

Annon rectius scribitur polcritudo quam pulchritudo vel pulcritudo? Ita videtur. Unde enim polcritudo, nisi à poliendo, sive natura in efformatione, sive ars postea poliat?

II.

Signum futuræ nivis esse, si aeris frigus remittat ac tepescat experiētia testis. Quæ causa? An quod materia nivis sit nubes rarior ac calidior, quæ cum à frigore mediæ regionis aeris divellitur, calor è nube expulsus ac demissus frigoris vehementiam aliquantulum temperet?

III.

An inventor rerum fortuito amissarum, si illas retineat sive sciat cujus sint sive ignoret furti teneatur. Aff. cum l. *43. §. 4.* ff. de furt. *& adprobamas illud* Augustini: *si quid inveniſti & non reddidiſti, rapuiſti: quantum potuiſti feciſti, quia plus non inveniſti: qui alienum retinet, si posset etiam tolleret.*

Exercitationum Ethicarum

SEXTA

DE

FORTITUDINE

ET

TEMPERANTIA

PROPOSITA

In Inclutâ Roſtochienſi Academiâ

PRÆSIDE

M. IACOBO GERHARDI
Colb. Pom.

RESPONDENTE

JOHANNE ECKHORST
Lubecenſ.

Horis locoq; conſueto, ad diem 16. Decemb.

ROSTOCHI
Typis exſcripſit Joachimus Pedanus,
ANNO M. DC. XX.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729272885/phys_0127
DFG

THESIS I

FOrtitudinem *pulcherrimam summamq; virtutem putarunt prisci: quâ re motus magnus ille* Scaliger *vocem* pulcher *cum adspiratione scribi vult, existimans eam esse à Græco* πολύχειρ, *i. e. fortis, multimanus. Romani enim, qui omnia ponebant in fortitudine, eam demum* formosũ *putarunt, qui esset* fortis. *Plautus quoq;, qui latinitatis parens jure meritissimo audit, fortem pro pulchro posuit in Milite.*

2. *Pulchram itaq; hanc virtutem, Fortitudinem, in præsenti disputatione oculorum ac mentis acie contemplaturi initiò ambiguitates nominis sublatas volumus. Non erit nobis sermo (1.) de fortitudine spirituali, qualis in martyribus, quorum constantiam & robur nihil emollire, nihil flectere potuit, non vultus instantis tyranni, non crudelissimi carnifices, non instrumenta luxandis artubus accommodata, non ferventes ollæ, non igneſcentia ahena, non dilaniatæ carnes &c. Stat martyr, inquit* Bernhardus super cantic. *tripudians ac triumphans toto lacerato corpore, & non modo fortiter sed & hilariter sacrum è carne suâ circumspicit ebullire cruorem: Neq; (2.) de fortitudine impropriè dictâ, sive robore corporis propter quod leones dicuntur fortes: sed (3.) de* habitu *animæ.*

3. *Sublatâ homonymiâ, ad συνωνυμίαν pergimus. Græci, quam Latini fortitudinem, ἀνδρείαν indigetant ἀπὸ τοῦ ἀνδρὸς.* Num igitur in solos viros cadit fortitudo, exclu-

sisfœminis? *Videntur mulieres esse inhabiles ad hanc virtutẽ ob innatã molliticm, quâ ingrata & aspera perferre detrectant. Unde etiam* mulier *dicitur quasi* mollier *à* mollitie *quæ huic sexui propria esse videtur, prout ita derivat* Covarruv. part. 2. c. 7. §. 6. *Hinc* Sesostris, *gentibus quas nullo negotio nullo q. prælio cepisset cippos statuit, & muliebria genitalia ijs adsculpsit, planum facere volens illos haudquaquam viriles extitisse* Herodot. lib. 2. *His tamen non obstantibus fortitudinem in mulieres quoq. cadere dicimus, quod exemplis quamplurimis comprobari potest.* Arthemisiam *perpende, quæ nulla adacta necessitate, sed præstantia animi atq. virilitate in militiam concessit* Herodot. lib. 7. *Hæc in navali prælio tam fortiter se gessit, ut Xerxes diceret: Viri quidem extiterunt mihi fœminæ, fœminæ autem viri* Herodot. lib. 8. *Tamyris Scytarum Regina Cyrum cum exercitu penitus prostravit, ut ne nuncius quidem tantæ cladis supereesset* Justin. lib. 1. §. 8. *Addè insignẽ fortitudinẽ mulierũ Agriensium de quibus* Thuanus lib. 10. *& quamplurima alia fortissimarum bellicosissimarumq. fœminarum exempla, quæ jam sicco pede præterimus. A potiori itaq. cum fiat denominatio cum à viro fortitudo ἀνδρία dicitur, mulieres non planè excluduntur, licet rarius hæc virtus in fœminis reperiatur.*

4. *Definitur Fortitudo μεσότης περὶ φόβους καὶ θάρρη h. e. mediocritas quæ circa timores fiduciasq. versatur,* Arist. 3. Ethic. c. 9. *quâ definitione* objectum *ejus internum exprimitur. Duplex enim, prout reliquarum virtutum, ita quoq. fortitudinis est objectum, alterum internum quod actui primo objicitur, externum alterum circa quod actus secundus versatur: Illud sunt affectus,* metus & fiducia; *hoc vero, quæ metum & fiduciam excitare possunt, sive τὰ φοβερὰ terribilia (timemus ea quæ terribilia sunt, ea vero sunt ut simpliciter dicamus, mala: Unde etiam timorem definiunt* προσδοκίαν

δοκίαν κακῶν *expectationem mali inquit*, Arist. loco citato) & τὰ θαρραλέα *fiducialia quæ extrinsecus* τὸ θαρρεῖν *fiduciam in nobis concitare possunt.*

5. *A duplici hoc subjecto duplex motus causatur in homine, Terribilia enim ac metus ab agendo deterrent, unde oritur fuga: Fiducialia autem & fiducia ad agendum pelliciunt, unde persecutio; siquidem hoc nobis per naturam congenitum, ut quisq; corruptionem sui ac interitum aversetur ac fugiat: cumq; mala sint talia quæ rem destruunt, naturaliter illa metuimus ac declinamus, è contrario bona quæ rem conservant appetimus. Fortitudo itaq; metum, habentem secum conjunctum animi recessum & fugam, moderatur, necnon fiduciæ certos statuit limites, & à mediocritate exerrare prohibet.*

6. *Nascitur hinc quæstio* an fortitudo sit spectabilior circa timorem quam fiduciam? *Resp.* Arist. 3. Ethic. cap. 12. *quamvis circa fiducias & timores versetur fortitudo, non simili modo tamen in utrisq; sed in timendis rebus magis spectatur: qui enim in his imperterritus fuerit, & sicut debet se gesserit, is magis est fortis, quam qui in illis qui fiduciam adferunt. Rationem addit quia longè difficilius est, sustinere ingrata ac molesta, quam à jucundis abstinere. Nam τὰ φοβερὰ humanæ naturæ penitus sunt contraria, ut non possimus illa tanquam nocitura non aversari. Unde magis arduum est metum sedare quam compescere ac regere fiduciam. Ergo fortitudo clarior redditur in timore quam fiduciâ moderandâ. Videtur hoc innuere etiam ipsum nomen, siquidem* fortitudinem à ferendo, *res duras putat atq; asperas, dictam putant. Qui igitur in asperis rebus ἀπαθὴς est, nec de gradu deturbatur, sed præsenti utitur animo consilioq; ille sibi jure meritissimo primum ac supremum in fortitudinis arce locum vendicat.*

7. *Quaritur*. an igitur fortitudo res molesta? *Affirmat hoc* Arist. l. 3. c. 12. *totidem verbis, inquiens: tolerandis molestis rebus homines fortes dicuntur;* unde etiam molesta res fortitudo. *Addit tamen ibidem mox limitationem, adeoq; non simpliciter rem molestam eam esse docet, sed ratione mediorum. Ideoq; distinguit inter media & finem. Finis fortitudinis jucundus est (nempe honestas, quâ quid jucundius homini virtute prædito?) media autem ingrata. Declarat hoc Philosophus exemplo à gymnicis certaminibus petito. Pugili enim jucundus sanè finis est, cujus causa agit, coronæ videlicet & honores: verbera vero, cum sint carneus, dolorem adferunt, atq; omnis demum labor molestus est. Ita circa fortitudinem mors & vulnera molesta quidem erunt viro forti, & invito contigent; sustinebuntur tamen quia id facere honestum, non facere turpe est. Non igitur in omni virtute inest ut cum voluptate operemur, nisi quatenus finem ipsum attingimus.*

8. *Oritur hinc non leve dubium*, an fortitudo habitibus sit adnumeranda? *Nam de essentia omnis habitus, est esse operativum, ut communis & constans est Metaphysicorum sententia. At fortitudo consistit in patiendo aspera ac molesta, non in agendo. Ergo non erit habitus, & si non habitus neq; virtus, cum à negato genere ad negandas species firma sit illatio. Ut difficultatem hanc tollamus, notandus duplex respectus fortitudinis. Dupliciter enim consideratur 1. in respectu* ad objectum solum. *2. in respectu* ad objectum (*sc. terribilia*) & subjectum simul (*s. animum*): *priori modo consistit in patiendo, quippe cum fortis perfert vulnera, mortemq; omnino patitur: posteriori modo in agendo consistit. Nam annon agit animus quatenus reluctatur perturbationibus? Quid? si penitius rem introspicimus,*

cimus, subjectum quidem patitur ab affectibus, non habitus fortitudinis, sed hic agit in passiones ac perturbationes compescendo & ad mediocritatem illas redigendo.

9. Cum dictum sit fortem versari circa terribilia, & omnia illa quæ nocere possunt sint talia quæ terrorem metumq; incutiant, unde etiam metuuntur: jam autem omnia mala nocendi vim habeant sicq; metum incutiant, quæritur an fortitudo circa omnia mala omniaq; terribilia versetur? Negativam tuetur Arist. cap. 9. & 10. lib. 3. Ethic. Sunt enim quædam φοβερὰ ὑπερ ἄνθρωπον, quæ unicuiq; sane mentis terribilia ac pertimescenda, & sic etiam viro forti, qualia sunt, ira Dei, terræ motus, inundationes, fulgura fulmina &c. Deinde sunt quædam καθ' ἄνθρωπον, quæ iterum duplicia, quædam sunt in se & simpliciter mala, veluti sunt animi mala, insciitia nempe, improbitas, scelera, ad quæ referuntur, malorum fructus & comites, ut infamia, supplicia, carceres &c. quæ timere honestum, & non timere turpe est. Imo hæc mala sunt graviora morte ipsâ, ideoq; etiam magis extimescenda & declinanda: Quædam sunt mala per accidens, ex se autem indifferentia, ut sunt paupertas, ægritudo, captivitas, exilium, si scilicet aliena non nostra culpa & merito fuerint contracta; & hæc dicuntur per accidens mala, quod sint bonorum impedimenta, suntq; objectum fortitudinis improprium, & qui in his perferendis intrepidus est, per similitudinem fortis dicitur ab Aristotele cap. 9. lib. cit.

10. Versatur itaq; circa omnium malorum maximum ac terribilissimum, cum nemo sit tolerantior malorum quam vir fortis. At mors est terribilium omnium terribilissimum omniumq; malorum extremum ac finis, cum non tantum bene esse, sed ipsum simplex esse hominis tollat. Non tamen circa omnem mortem occupatur fortitudo sed illam duntaxat,

quæ

quæ in pulcherrimis rebus contingit, cujusmodi est quæ in bello oppetitur ἐν μεγίστῳ καὶ καλλίστῳ κινδύνῳ *in maximo & pulcherrimo periculo inquit* Aristoteles l. c.

11. *Hinc factum quod tantâ gloriâ tantisq; laudibus prisci, illos qui pro lege ac grege, inter armorum strepitum fortiter pugnando, animam efflassent, prosequuti fuerint, quosdam etiam in Deorum immortalium catalogum retulerint. Ita Solon peculiarem sanxit legem de laudandis ijs qui in bello fortiter occubuissent,* teste Platone 5. de Rep. *Athenienses Heroum memoriam quotannis publice recoluerunt,* Junius in politic. *Horsum spectat pathetica oratio Æneæ apud Virgilium 1. Æneidos. Cum enim in horrisono mari constitutus esset ac præsentem ob oculos cerneret mortem, exclamavit:*

——————— Otterq; quaterq; beatos
Queis ante ora patrum, Troiæ sub mœnibus altis
Contigit oppetere: ô Danaûm fortissime gentis
Tydide, mene Iliacis occumbere campis
Non potuisse?

Nimirum detestabatur vir fortis in maris procellis mortem tanquam ignavam, & nullum decus sibi allaturam, quippe sciebat inter transtra remosq; virtuti suæ nullum locum relictum. Cum quo enim debebat vel poterat pugnare, sicq; fortitudinis suæ specimen edere? Num cum pelago, ut fecêre Celtæ *qui instructa acie prælium inierunt contra mare, referente* Ælian lib. 12. c. 23; & Xerxes, *qui jussit trecenta Hellesponto verbera infligi & in ejus pelagus par compedum demitti, mandavitq; ut colaphos ei incuterent ac stigmata inurerent,* Herodotus lib. 7. *An vero cum ventis, ut* Pſylli *actitarunt, qui publico colloquio ac consilio expeditionem fecêre contra Austrum, quod eis omnia receptacula aquarum arefecerat,* Herodotus lib. 4? *Non adeo stolidus erat magnus ille heros Æneas, iccirco mortem bellicam optati &c.*

12. Qua-

12. *Quæritur hoc* an fortes dicendi illi milites qui certis quibusdam medijs corpus ita consolidarunt ac indurarunt ut vulnerari prorsus nequeant? *Negativa nobis placet, siquidem objectum fortitudinis sunt terribilia quæ habent vim nocendi. At in tales milites pericula belli nullam vim nocendi obtinent, quod cum sciunt omni metu carent. Ubi autem nullus metus ibi fortitudo officium suum amittit. Quales ergo dicendi? Timidi sanè, siquidem ex nimiâ formidine proficiscitur, quod corpus ita præmuniant, ut tutum sit ab omnibus nocituris, sicq; periculis se ex asse subducunt, quod non est viri fortis, qui moderatè adit pericula ac perfert; ut nihil jam dicam de medijs quibus talem stuporem membris inducunt, quæplærumq; sunt illicita ac diabolica.*

13. *Cum fortitudo circa mortem versetur, quæstio oritur*, an fortis illam planè nec metuere nec fugere debeat? *Si fortitudo affectus radicitùs evelleret, dicendum foret fortem nihil metuere; cum autem nulla virtus moralis perturbationes exstirpet, neq; fortitudo faciet illud. Timebit igitur fortis, quia non est stipes aut truncus, neq; exuit naturam animalis cujus proprium est sentire, sed ita timebit ut decet. Docet hoc Aristoteles 3.* Ethic. 10. *inquiens: fortis vir est imperterritus*, sed ut homo, *timebit etiam ipse hujusmodi mala*, sed ut oportet tamen, *& ut ratio præscribit, honestatis causa sustinebit ac feret. Et cap. 12. ait: quo magis omni virtute ornatus ac felicior fuerit, eo magis ob mortem dolebit; quippe cum ejusmodi vir maxime dignus sit qui vivat, maximisq; bonis sciens privetur, quod dolorem affert, nihilominus tamen fortis erit, & fortasse etiam magis quia honestatem in bello his omnibus anteponit.*

14. *Fortis itaq; mortem metuit & adit. Metuit quatenus est res mala ac corrumpens, ideoq; nemo sana mente præ-*

ditus propterea hostem aggreditur ut ab eo trucidetur; vulnera quoq; sentiens dolet, præsertim si res adtriarios pervenerit, ac vita cum morte commutanda fuerit. Adit quatenus ex duobus malis eligit id quod minus est, ac mavult honestè mortem oppetere quam cum dedecore vivere, & cum patriæ ac Reipublicæ commodo interire, quàm ejusdem interitum cum privato emolumento admittere; ideoq; cuncta mala imperterrito invictoq; animo perfert, doloris exquisitissimos sensus aspernatur, ac ipsius mortis amariciem constantiâ ac tolerantiâ viriliter vincit, vultuq; sereno illam sæpenumero excipit, propterea quod honestum est ac pulchrum.

15. Anne igitur Fortitudini repugnat muris ac propugnaculis, itemq; ferreis indumentis contra hostem se defendere? Nullo modo, quandoquidem non est viri fortis vitam suam plane nihili facere, ac temerario ausu propterea prælium ingredi ut vincatur, sed ut vincat ac palmam reportet. Qu propter etiam media licet adhibere ejusmodi quibus se tueri, hostium agmini fortiter resistere, ac si Deus & fortuna favent hostes prosternere potest. Ubi tamen notandum media debere ita esse comparata, ne omnem plane metum adimant, & ab omni periculo tutum reddant. Quæ enim virtus, ibi nullo timore percelli, ubi nihil est quod damnum adferre sicq; metum incutere possit?

16. Quæritur, An deceat fortem hostem suum fallere? De Achæis refert Polybius lib. 13. quod strategemata & occultas machinationes summoperè abominati fuerint, & judicarint neq; firmã neq; splendidam talem victoriam. Fabricius Romanus, cum quidam ex amicis Pyrrhi furtim ad illum veniret, (Plutarchus in Phyrro scribit Medicum Pyrrhi ad eum misisse nuncium) & si de pretio conveniret, promitteret regem Pyrrhum se veneno interfecturum, Fabricu eam rem

Pyr-

Pyrrho indicari curavit, Agellius Noct. Attic. lib. 3. cap. 8. *Et videntur strategemata pugnare cum naturâ fortitudinis quæ nititur honestate ac rectâ ratione. Quid autem magis contrariatur honestati quam fraus & dolus, à quo vir bonus semper est alienissimus? Nihilominus tamen dicendum, licitum esse usum strategematum & verissimè dictum à Poëta: dolus an virtus quis in honeste requirat? Et quomodo illud honestati esset contrarium, quod pro bono publico ac salute Patriæ suscipitur? Nihil itaq; interest, apertè quis pugnet aut ex insidijs, modo bellum ipsum sit justum*, inquit Augustinus super Jos. q. 10. *Mandavit enim Jehova ipse Josuæ, ut strueret insidias urbi Hai.* Jos. 8. v. 2.

17. *Quæritur porrò* An vir fortis mortem debeat potius oppetere quam fugere? *Timidi potius esse videtur fugere quam viri fortis qui ipsam mortem magno animo temnit ac calcat, unde etiam fuga non caret turpitudinis notâ. Nam qui fugit, mortem magis quam turpitudinem metuit, quod non est viri fortis* Arist. cap. 11. *Hanc turpitudinem indicare voluerunt mulieres Persarum memorabili facto, quod extat apud* Justin. lib. 1. §. 6. *Cum enim viri ex acie refugerent, uxores & matres illis obviam occurrerunt, ac primum eos rogarunt, ut in prælium reverterentur; cunctantibus autem illis, sublatâ veste, obscæna corporis ostenderunt, rogantes num in uteros matrum aut uxorum velint refugere.* Et l. omne delictum 6. §. 3. ff. de re militari, *eum qui in acie prior fugam fecerit spectantibus militibus propter exemplum capite puniendum dicit. Interim tamen in casu necessitatis fortem fugere non dedecet, si scilicet ad tantas angustias fuerit redactus, ut nulla restet salus nisi fugâ quæratur, & ex morte ejus damnum Reipub. imminet. Verissimum enim est*, qui fugit, ad pugnam redire potest. *Si vero damnum vel exercitui vel*

Reipub. ex fugâ nasci potest, præstat mori, & sic spernere salutem privatam ut servetur publica.

18. *Quæritur* an fortis dicendus, si unus in totum agmen hostium irruat? *Memorabile exemplum habemus in Alexandro Magno, qui apud Mallos (ita vocat illam Indorum gentem* Plutarchus in Alexandro) *vel Sugambros (ita nuncupat* Justinus lib. 12. §. 9.) *primus admotâ scalâ murum conscendit, & in urbis planitiem sine satellite desilijt. Itaq; cum hostes eum solum conspexissent clamore edito concurrunt undiq;. Alexander vero non minus constanter restitit, & unus adversus tot millia prælIatus est. Incredibile dictu est, inquit Justinus, ut eum non multitudo hostium, non vis magna telorum, non tantus lacessentium clamor terruerit, solus tot millia cæciderit ac fugaverit. Cum non modò graviter vulneratus, sed & tantopere delassatus esset prælIando, ut vix stare amplius posset, inclinato ad murum corpore, hostes tamen tam fortiter repulit, ut vix adire eum auderent. Summatim tam diu agmen sustinuit, donec amici ejus ad eum desilirent, ex quibus multi cæsi, prælIumq; tam diu anceps fuit, quoad omnis exercitus muris dejectis in auxilium veniret.*

19. *Quæritur quid sentiendum de hoc facto,* num sit opus fortitudinis? *Videtur quod sit temerarium, redolens summam audaciam. Prudentia enim quæ directrix omnium virtutum, etiam fortitudini præscribit, quæ pericula & quomodo sint adeunda. Docet hoc* Aristot. 3. Ethic. 10. *inquiens; peccata comittuntur, aliud cum timemus ea quæ non oportet, aliud cum non sicut oportet, vel aliquid ejusmodi: similiter quoq; circa ea quæ fiduciam afferunt. Qui igitur ea quæ oportet, & cujus causa oportet, & ut oportet, sustinet ac timet, & simili modò etiam confidit, fortis est, quippe cum pro dignitate & sicut ratio præscribit, fortis vir & patiatur*

& a-

& agat. Quoties igitur quis nullâ urgente necessitate illa adit pericula, ex quibus præter certissimam mortem sibi nihil polliceri potest, undè etiam vel nullum vel exiguum damnum hosti inferri potest, temerarius & audax dicendus. Quare audacia fuit in Alexandro talia adire pericula, licet in ipsis fortissimè se defenderit.

20. Alia vero ratio est, cum summa necessitas in prælium trudit: ideoq; heroicum fortitudinis exemplum dedit Publius Horatius Cocles, qui salute patriæ id postulante solus in ponte, quem post se rescindi jusserat, hostes irrumpentes repulit & tam fortiter repressit, ut nemo amplius cum eo ceu furente & mortem appetente congredi auderet, sed eminus stantes, fustes, lapides &c. in eum iaculărentur. Dionis. Halicarnas. lib. 5. Antiquit. Rom. c. 22. Sciebat enim quid ageret, neq; ex temeritate in tantâ conijciebat se vitæ discrimina, sed amore ac salute patriæ quæ periclitabatur compulsus, nec vulnera nec mortem metuebat.

21. Agitari hic solet quæstio de ijs, qui sibi ipsi violentas manus inferunt, num dicendi sint fortes? Plurima in historijs occurrunt exempla eorum qui se ipsi trucidarunt. Adrastus cum vibrato in aprum jaculo transverberasset filium Crœsi, super bustum interfecti ac mortui se quoq; interemit, Herod. lib. 1. Cato Uticensis de victo Pompeio in acie Pharsalicâ ne in manus Julij Cæsaris deveniret, vitâ se privavit, Plutarchus in Catone. Lucretia Collatini uxor à Tarquinio juniore vi compressa ac stuprata, cultrum quem sub vestimentis occultaverat adstantibus propinquis in viscera adegit, Liv. lib. 1. Sunt qui ἀνδρεῖαν hanc laudè dignam judicent. Plus gloriæ quam sanguinis è Catonis vulneribus manasse scribit Valer. Maxim. l. 2. c. 3. Lucretiam summis laudibus prosequitur Brutus in prolixâ suâ oratione

quæ extat apud Dionis. Halicarnas. lib. 4. Antiquit. Rom. cap. 86. *Seneca Epist. 70. de hac controversia agens, ita scribit: non possis itaq; de re in universum pronunciare, cum mortem vis externa denunciat, occupanda sit an expectanda. Si altera mors cum tormento, altera simplex & facilis est, quid ni huic injicienda sit manus? Exeat quâ impetum cepit, sive ferrum appetit sive laqueum, sive aliquam potionem venas occupantem, pergat & vincula servitutis abrumpat. Commemorat ibidem varia exempla eorum qui sui interemptores, pariterq; laudat.*

22. *Improbanda tamen omnino est* ἀυτοχειρία (1.) *quia legi naturali est contraria, quæ jubet servare seipsum,* (2.) *pugnat cum lege divina,* Non occides, *quod præceptum in genere vetat ullum hominem occidere. At qui seipsum interficit hominem interficit. Ergo.* (3.) *peccat in Rempub. quam cive spoliat, unde tales quoq; pœnâ civili puniuntur dum honestâ sepulturâ privantur*

23. Aristoteles lib. 3. Ethic. cap. 11. ἀυτοχείρες *minimè fortes esse ait, sed potius timidos. Non enim propterea talem mortem sustinent, quod honestum illud sit, sed ut malum evitent ac fugiant. At laboriosa fugere mollities est. Cum itaq; non honestatis gratia mortem oppetant sed ex impatientiâ ac metu periculorum imminentium, in quorum relatione mortem minus malum judicant ac eligunt, nullatenus fortes dicendi sunt.*

24. *Quæritur* An liceat homini Christiano bella gerere? *Non tantum* Marcionitæ & Anabaptistæ, *sed etiam* Origenes, Tertullianus, Lactantius *& alij in hanc devenerunt opinionem, Christianum salvâ conscientiâ bella gerere ac castra sequi non posse. Idem hodie statuunt* Photiniani,

niani; Osiorodus in Instit. cap. 27. Smalcius in refut. thes. D. Franzij. p. 393.

25. *Nos pro affirmativa producimus (1.) quod justa & legittima bella vocantur prælia & ultio Domini*, Num. 31. vers. 3. 1. Sam. 25. vers. 28. 1. Paralip. cap. 5. vers. 22. 2. Paralippom. 20. vers. 17. (2.) *quia sunt à Deo mandata.* Levit. 26. vers. 7. Jos. 8. vers. 1. (3.) *Deus certas leges modumq; præliandi præscripsit.* Num. 10. vers. 9. Exod. 20. v. 1. & seqq. (4.) *quia Jehova singulari Spiritus Sancti instinctu fortes bellatores excitavit, ut Josuam* Jos. 10. v. 8. *Gedeonem* Judic. 6. v. 34. *Samsonem* Iudic. 15. v. 14.

26. *Oggannunt adversarij, in Veteri Testamento quidem licitum fuisse vim hostium etiam cum occisione propulsare; At in Novo Testamento Deum nulla ratione unquam, vel per Christum vel per Apostolos declarasse, se hostium invadentium propulsationem cum ipsorum nece conjunctam adprobare. Ad quam objectionem respondemus, (1.) quodcunq; in se & καθ' αὑτὸ malum ac illicitum, legiq; morali contrarium Deo semper dissilicet, illud quoq; prohibet non præcipit, & ad illudneminẽ incitat: contrà, quod Deus mandat ad quod impellit, per se vitiosum non est. (2.) Deus etiam in Novo Testamento satis declaravit talem propulsationem quæ fit per bella non esse illicitam, ad quod probandum producimus* Exempla & Testimonia.

27. Primum exemplum *præbet Centurio* Matth. 8. v. 10. *cujus fidem Christus ibidem deprædicat. Non invenimus autem quod Christus eum vitæ genus jusserit mutare, vel quod ipse etiam mutaverit; unde satis patet, vitam militarem non pugnare cum vitâ Christianâ, sed simul stare posse. Hinc* Augustinus ad Bonifacium Epistola 205. *Noli existimare, neminem Deo placere posse, qui in armis bellicis mili-*

militat.. In his enim erat sanctus David, cui Dominus tam magnum perhibuit testimonium. In his etiam erat ille Centurio, de quo inquit Christus, in Israël non inveni tantam fidem.

28. Alterum exemplum est alter Centurio Actor 10. v. 1. de quo Scriptura dicit quod fuerit pius ac timens Deum cum totâ domo suâ, faciens eleemosynas multas plebi, assiduè Deum deprecans, adeò ut etiam preces ejus ascenderent in conspectum Dei. Num igitur quis dicere audet militiam Christianismo & pietati esse contrariam ut eidem competere utrag; nequeat? Tertium exemplum habemus in militibus illis Luc. 3. v. 14. qui ex Johanne quæsiverunt, quid post acceptum baptismum facere deberent? Si Johannes militiam tanquam illicitam improbasset, utiq; ita à militibus interrogatus, maximè improbare potuisset imo debuisset, & illis author esse ut arma abijcerent. At hoc non fecit Baptista, sed potius militiam confirmavit, inquiens; ne quem concutiatis, neq; calumniemini, & contenti estote stipendijs vestris. Cum illos jubet esse contentos stipendijs, annon claris verbis vitam militarem approbat? Omninò, siquidem qui non militat ei nulla debentur stipendia.

29. Testimonia quod attinet, primum desumimus ex 1. Cor. 9. v. 6. Quis militat suis stipendijs unquam? Hic Paulus ex Justitiæ lege ratiocinatur quod scilicet justum & æquum sit, ijs qui militiam sectantur solvere stipendia. Ergò non est iniquum militiæ operam navare; si enim hoc iniquum & illicitum foret, non præmia & stipendia sed pœnæ potius militibus deberentur. Alterum dictum est Rom. 13. v. 4. ubi dicitur Magistratus gladium gerere ut sit ultor ac vindex malefactorum. Hinc sequitur licere Magistratum bella gerere, siquidem illorum qui mala faciunt religionem & pacem publi-

cam

publicam turbant, non raro ea est conditio & potentia, ut absq; armis & vi bellicâ coherceri nequeant.

30. *Distinguendum autem inter bella* justa & injusta. *Ad justum bellum requiritur 1.* causa efficiens legitima, *quæ est solus Magistratus, siquidem bellum est pars vindictæ publicæ. Ergo ejus causa efficiens non est persona privata, sed Princeps & Magistratus quem Deus gladio armavit. Organum quidem Principis esse potest homo privatus, sed tum cogitandum quæ sit natura instrumentorum, nempe quod non suâ vi moveantur, sed tum demum quando regi ac moveri à principali agente ceperint, h. e. quod subserviant actioni principalis agentis à quo diriguntur. Pulchrè inquit* Thomas 1. part. sum. q. 44. art. 5. *Omne instrumentum agere debet dispositivè ad virtutem agentis principalis. Quandocunq; itaq; principali agenti non subservit, instrumenti nomen amittit. Hinc privatorum conspirationes & excursiones, item tumultus subditorum adversus Magistratum non bella sunt dicenda, sed* illa *latrocinia*, hæ *autem seditiones.*

31. *II.* Causæ impulsivæ, *quæ variæ enumerantur in Sacris; idololatria & rebellio*, Deut. 13. v. 12. *violatio pactorum* 2. Reg. 3. v. 7. *nota ignominiæ inusta* 2. Sam. 10. v. 4. & 7. *publica violentia* 2. Sam. 3. v. 1. *Vide* D. Meisnerum in Consideratione Theolog. Photinianæ cap. 3. *plures causas impulsivas enumerantem.* Causa formalis *sive modus bella legitimè gerendi, consistit (1.) in oblatione pacis, quæ si contemnitur, (2.) ad arma progredimur, non ex affectu, ut iracundiâ, aut confidentia in humanis viribus, non propter prædam &c.* Causa finalis *est conservatio Ecclesiæ, cultus divini, & pax ac tranquillitas publica. Prolixius hâc de re agit* Meisnerus loco citato, Forsterus in thesauro Catechet: decad. 2. problem. 4.

32. *Vidimus veram Fortitudinem, nunc paucis de apparente quæ cum vera similitudinem habet, illamq; æmulatur, agendum. Est autem non vera sive* apparens *Fortitudo quæ caret fundamentis. Fundamenta veræ Fortitudinis sunt honestas & recta ratio. Ideoq; quæ recta ratione non nititur, sed solo impetu veram æmulatur, quæ item pro fine non habet honestatem sed utilitatem duntaxat, apparens tantum est Fortitudo.*

33. Aristoteles lib. 3. Ethic. cap. 11. *quinq; species* Fortitudinis apparentis *enumerat, 1. Est* Politica, *quæ est quasi coacta, unde vicissim duplex, prout illa quæ vim necessitatemq; afferre videntur sunt duûm generum. Etenim vel* leges *ad agendum impellunt polliçitatione præmiorum & interminatione pœnarum, sive honore & infamiâ: vel* homines *qui principatum obtinent, & nolentes metu mortis aut verberum cogere possunt. Hæ non sunt veræ fortitudines (1.) quia causam habent necessitatem, sicq; non sunt voluntariæ sed coactæ (2.) quia pro fine non habent honestatem. Quia enim præmia & honores legibus constitutos appetunt, & opprobria timent, pericula subeunt, quæ cum non sint verus fortitudinis finis, fortes dicendi non sunt. Deteriores tamen his qui legibus coguntur, pronunciat Aristoteles illos qui impelluntur à principibus, eò quod non pudore, sed pœnarum & mortis metu rem gerant. Huc pertinet fortitudo militum vel in primâ acie locatorum, ut à tergo habeant suos, à quibus propelluntur, vel ante fossam, flumen &c, ut sublatâ omni spe & occasione fugæ prœliari cogantur.*

34. *Altera species est* Experientalis, *quæ propria militum qui aliquoties castra sequuti, & diuturna laborum perpessione ad ferendâ aspera assueti. Cum enim multæ res vanæ ac inanes belli terrores esse videantur quos veterani norunt*

per

per experientiam, ideo illis minus terrentur quam alij qui illos ignorant. Accedit quod per exercitationem & ἐμπειρίαν sciant cavere ac percutere, h. e. hostium ictus declinare, ac eludere, ipsos vero suis telis petere, ut ita cum adversarijs quasi inermibus armati, & quasi certandi imperitis athletæ ipsi decertent. Vera tamen fortitudo non est, (1.) quia potius experientiam quæ est singularium tantum, quam rectam rationem pro causa habet. (2.) Finis quoq; non est honestas, sed utilitas. Conductitij enim milites stipendij amore ac prædæ cupiditate allecti pericula adeunt. Utilitas autem privata, est fortitudinis tantum finis externus, accidentarius & secundarius, siquidem non tui causa ut tu præmia reportes bellum suscipitur, sed Reipub. ergò. (3.) Cum crescit periculum, vel copijs & apparatu destituuntur, abjectis armis fugiunt, tanquam timidi. Ideoq; empirica fortitudo civili est inferior.

35. Tertia est Iracunda Fortitudo, quando quis doloris ac iracundiæ stimulis actus in pericula ruit. Non est vera, (1.) quia caret rectâ ratione & ex affectu proficiscitur. (2.) non ob honestatem sed ob vindictam suscipitur. (3.) Est belluina siquidem instar ferarum (quæ contra vulnerantes feruntur) micantibus oculis, vultu truculento, impetu facto in percussores rapiuntur. Huc pertinet Fortitudo δι' ἀνθυμίαν cum cupiditate & amore in pericula quis propellitur. Si enim propterea quis fortis dicendus esset, fortissimi essent asini cum esuriunt, qui à pabulo etiam verberibus deterreri aut abigi non possunt, Arist. loco citato.

36. Quarta est Fortitudo Fiduciaria qua quis adoritur pericula hac spe quod illa facile sit superaturus, quia sæpius jam ante evasit, unde si spe illa frustratur abjectis armis fugam capessit. Et hæc quoq; non est vera, tum quia ex affectu, tum quia inconstans. Ultima est Fortitudo Inscia

sive per ignorantiam, quâ quis intrepidè adit pericula quorum magnitudinem ignorat, ideoq; cum illam subodoratur fugit, ut videre licet in tyronibus ac novellis militibus, qui ante pugnam sunt alacres, in pugnâ vero viribus animoq; deficiunt, unde proverbio dicitur: dulce bellum inexpertis.

36. Oppositum *fortitudinis* in excessu *est* Audacia, *quæ est nimia confidentia. Hoc vitio totâ cervice laborat* (1.) *qui terribilia ὑπὲρ ἄνθρωπον spernit, ut fecêre* Thraces *qui quotiescunq; tonuit ac fulguravit, sagittas in cælum jaculari ac ipsi Jovi minitari soliti sunt teste* Herodoto lib. 4. (2.) *qui temerario ausu in præsentissima vitæ pericula se conjicit &c.* In defectu *est* Timiditas *cum non metuenda & levicula adeoq; ut proverbio dicitur fulgur è vitro metuimus, vel quæ quidem timenda nimium timemus. Hoc vitium valde conspicuum fuit in* Xerxe, *qui licet talem coegisset exercitum cui pauci parem nedum numerosiorem eduxerunt, aliisq; rebus esset instructissimus, semper tamen primus in fugâ & postremus in prælio visus est: in periculis timidus, sicubi metus abesset inflatus* Justin. lib. 2. §. 10. *Huc referimus quoq; quibus ventosâ in linguâ pedibusq; fugacibus Mavors est, qui omnes in universum hostes, si longè absint, soli trucidare, & cum Pyrgopolinice* (apud Plaut. in Milite act. 1 Scen. 1.) *totas legiones spiritu diffiare, quasi ventus folia aut penniculum tectorium, velle se gloriantur: ubi autem cum hoste congrediendum, cum Thrasone Terentiano stant* post principia, *pavitant, horrescunt, tremunt & datâ occasione tanquam galeati lepores fugiunt, prout talis fuit Sosia qui apud Comicum in Amphitr. act. 1. Scen. 1. inquit:* cum illi pugnabant maxime, ego fugiebam maxime. *Sed de Fortitudine ad disputandum plus satis: ad Temperantiam pergimus.*

37. Tem-

37. Temperantia *in latâ significatione omnes notat virtutes, quarum quælibet circa cupiditatem ac perturbationem aliquam temperandam & moderandam occupatur.* Hinc Cicero 5. de finibus, Temperantia, *inquit*, est moderatrix omnium commotionum. *Hoc sensu fortitudo est temperantia, quia temperat metum & fiduciam, & cæteræ virtutes. Nos autem hic propriè & strictè temperantiam sumimus pro speciali virtute quæ moderatur cupiditatem nutrimenti ac Veneris. Græcis dicitur* σωφροσύνη quam Arist. lib. 6. cap. 5. Ethic. *dictum putat quasi* σώζουσαν τὴν φρόνησιν *prudentiam conservantem. Alijs dicitur* σωφροσύνη *q. d.* σώζουσα τὴν φρένα *mentem conservans. Quemadmodum, inquit* Seneca epist. 83, *difficiles faciunt oculos diutini morbi, etiam ad minimam radij solis offensionem: ita ebrietates continuæ efferant animos. Ergò ratione contrariorum temperantia mentem in vigore conservabit.*

38. *Definitur ab* Arist. l. 3. c. 14. μεσότης περὶ τὰς ἡδονὰς καὶ λύπας *sive mediocritas in expetendis & fruendis voluptatibus, ferendisq; doloribus qui ex rei jucundæ privatione oriri possunt.* Objectum itaq; Temperantiæ statuit voluptatem & dolorem. *At annon omnis virtus est moderatio alicujus perturbationis? Sic est. Voluptas autem non est perturbatio. Ergò neq; objectum temperantiæ. Ut hunc nodum dissecemus, cum* Picolhomin. grad. 1. c. 17. Keckersyst. Ethic. l. 2. c. 1. *distinguimus inter* objectum primarium & secundarium *sive ortum. Primo & principaliter temperantia componit cupiditatem tendentem ad voluptatem: composita autem ea cupiditate consequenter componitur voluptas & dolor, quæ comitantur adeptionem & fruitionem objecti cupiditatis &c.*

39. *Voluptas hîc intelligenda non* mentis *quæ vel ex*

contemplatione vel ex virtutis actione, cum hæc ad inhonesta non deflectat, sicq; virtutis moderamine non indigeat; sed corporis, quam Plato escam malorum vocavit, quod eâ homines capiantur ut pisces, Cicro in Catone majore; & ea quidem non omnis. Nam licet sint quinq; sensus exteriores, qui objecta sua per organa corporea percipiunt, & ex tali perceptione vel voluptatem vel dolorem percipiant tamen non versatur temperantia circa illas voluptates quæ visu, auditu, & olfactu percipiuntur. Unde neq; eos qui ijs nimium gaudent quæ visa percipiuntur, ut coloribus, figuris, picturis &c. neq; eos qui supra modum cantibus oblectantur; neq; qui odoribus gaudent intemperantes dicimus. Arist. loco citato.

40. Rationem addit Aristoteles, quia temperantia in illis duntaxat occupatur voluptatibus quæ nobis insunt non quatenus homines, sed quatenus animalia sumus, hoc est, quæ homini cum brutis sunt communes. At licet bruta quoq; visu, auditu & olfactu utantur, non tamen in his sensibus per se voluptatem sentiunt sed per accidens tantum, quatenus horum affectio excitat phantasiam alicujus tactilis aut gustatilis voluptatis. Ita canis non leporum odore per se, sed comestione futuræ prædæ gaudet: neq; leo bovis voce, sed esu lætatur, ex voce autem cum prope esse cum senserit, eâ (voce sc.) videtur oblectari: neq; si viderit cervum voluptate aliqua afficitur, nisi quia cibum inde habebit. Quia itaq; temperantiâ tanquam virtute à brutis distinguimur, circa illas voluptates eandem versari necesse est, quæ nobis communes cum brutis. At solæ voluptates gustus & tactus sunt tales. Ergò circa has solas occupata est Temperantia.

41. Oppositum ejus in excessu est ἀκολασία, vitium quo voluptates quævis licitæ & illicitæ contra rectam rationem

nem & honestatem immoderatè appetuntur. Unde etiam nomen accepit, translatum à pueris indomitis, siquidem ἀκολασία est à particula privativa α & verbo κολάζω quod significat punio, coherceo, castigo, inde ἀκόλαστος indomitus cujus cupiditates & affectus non sunt moderati ac castigati. In defectu est Ἀναισθησία stupiditas, vitium quo omnes voluptates tam honestæ quam inhonestæ contemnuntur. Hoc vitium ferè non inveniri docet Aristoteles, quia à natura humana maximè est alienum. Natura enim in cunctis rebus appetit conservationem sui. Iam per alimenta conservatur individuum, per venerem ac sui propagationem species. Ideoq; voluptatem adiecit natura ut animalia ad illa præstanda alliceret ac incitaret. Qui itaq; voluptatis sensu non afficitur, ad inanimatorum classem referendus, ac lapidibus adnumerandus videtur.

42. Dispescitur Temperantia in Frugalitatem & Castitatem. Frugalitas ratione duplicis objecti circa quod versatur iterum duplex est: Abstinentia quæ in cibi usu mediocritatem servat, congruentem scilicet cum naturâ & rectâ ratione; & sobrietas quæ in potu sumendo medium servat. Abstinentiæ opponitur in defectu nimia corporis maceratio, qualis non raro in avaris, qui ut divitias accumulent fame macerantur ut intabescant, ac pelluceant quasi laterna Punica: in excessu Voracitas quæ in his consistit (1.) si quis appetit talia à quibus natura humana alias abhorret, quod fecerunt ἀνθρωπόφαγοι & adhuc faciunt ex mera temeritate viri voraces, & qui sunt alij ejusdem farinæ homines qui instar anguillarum serpentes vorant, qualem nos ipsi vidimus; item qui canes, equos, feles, mures &c. comedunt. Excipimus tamen hic inevitabilem necessitatis casum, ut si tempore belli nullum aliud sedandæ famis restaret medium. Necessitatis

onim

enim nulla lex est, ideoq; nec virtus. (2.) cum nimia quantitate cibum appetimus ac si stomachi nostri mensuram ignoraremus. Exempla collegit plurima Goclenius in tract. de luxu conviorum p. 14. & seqq. (3.) nimiâ festinatione comedendi, quod vocant taburcinari vel tubuccinari, quasi distentis buccis cibum ingerere, (4.) delectu suavium præ salubribus, quod facere videmus infantulos ac mulierculas. (5.) si quis in convivijs delicatiora quocunq; jaceant loco ad se rapit (6.) intempestiva comestione, ut cum quis per plateas ambulans, nuces, poma aut alia vorat, item in loco certis officijs destinato, ut si consul in curia, professor in cathedra, concionator in suggesto &c. cibum capere vellet.

43. Sobrietati in defectu opponitur nimia aversatio potus, quod vitium rarum est: in excessu ebrietas quâ modum in bibendo excedimus, & ad ambas usq; aures nos ingurgitamus. Hoc vitium totas nationes invasit, & adhuc hodie instar morbi epidemici longè lateq; grassatur. Græci propter bibacitatem admodum celebres fuêre, ut etiam inde ortu vocabulum pergræcari, quod idem significat quod helluari Alexandrum Magn. semper ad edormiscendam crapulam non breviori quam duorum dierum totidemq; noctium spatio fuisse opus, aiunt. Dionysius Siciliæ tyrannus per totos nonaginta dies ebrius interdum fuit. Hodiè nos Germanos idem vitium occupavit ac tantum non suffocavit. Flandros tamen palmam præripere Germanis testatur Henricus Stephani in apologia pro Herodoto his verbis: Qui Germanis potandi principatum deferunt, Flandris, meo quidem judicio, magnam injuriam faciunt, quâ de re ego non ex ijs quæ audivi, sed ex ijs quæ vidi, sententiam pronuntio.

44. Quæritur primo an celebrare convivia ijsq; interesse hominem virtute præditum & Christianum non liceat?

liceat? *Convivia per se non sunt mala, sed bona ex quibus multa scaturiunt commoda. Liberant animum à curis ac relaxant, nihilq; præstantius ad amicitiam tum conciliandam, tum conservandam. Unde benissimè Germani vocitant* ein wolleben *εὖ ζῆν. Benè majores nostri accubationem epularem amicorum (ita appellat* Nonius*) quia vitæ conjunctionem haberet,* convivium *nominarunt, melius quam Græci, qui hoc idem tum* compotationem *tum* concænationem *vocant, ut quod in eo genere minimum est, id maximè probare videantur, inquit* Cicero in Catone majore. Plutarchus lib. 4. sympos. problem. 1. *definit convivium rationem vivendi per vini usum in amicitiam desinentem, sicq; agnoscit pro fine conviviorum amicitiæ generationem & conservationem. Adde quod ad inimicitias simultatesq; tollendas multum valeant: sic Marcus Crassus Ciceroni reconciliatus in convivio. Et quot hodie adhuc plusquam novercali odio dissidentes, conviviorum occasione coeunt ac reconciliantur? Ergo virtuosum convivia frequentare licet.*

45. *Et quidni liceat etiam hominem Christianum frui honestâ conversatione & gaudio? Præivit sane nobis exemplo Christus, qui non est aversatus convivia, sed sæpissime accessit,* Matth. 9. v. 10. Luc. 14. v. 1. Joh. 12. v. 2. *Come de panem tuum in lætitia, & bibe cum gaudio vinum tuum inquit* Eccles. 9. v. 7. *Cum itaq; moderata convivia in sacris nullibi prohibita, sed extent exempla illorum clarissima, tum Patriarcharum tum ipsius Christi, nullatenus Christianum homixem dedecent: quando autem ex accidente fiunt mala & ἀσωτία ac luxus in illis regnant sunt fugienda.*

46. *Quæritur II.* an igitur non sit licitum largius bibere quam sitis postulat? *Sapientis viri super mensam celebre dictum est: prima, inquit, cratera ad sitim pertinet, secunda*

ad hilaritatem tertia ad voluptatem, quarta ad insaniam, ait Apuleius in florid.

Tribus aut novem
Miscentur cyathis pocula commodis.
Qui Musas amat impares,
Ternos ter cyathos attonitus petet:
Vates: tres prohibet supra

Rixatum metuens tangere Gratia, *inquit* Horatius lib. 3. od. 19. *Alij quatuor enumerant pocula, ex quibus aiunt tria esse concessa, quartum aversandum. I. est* poculum necessitatis *quod ad sustentationem ac conservationem naturæ necessarium, & pertinet ad sitim exstinguendam. Contra hoc nemo peccat, ne avarus Euclio quidem, utpote qui naturam penitus corruere non permittit. II.* poculum sanitatis *quo conservatur corpus non inesse simpliciter sed in benè esse sive florido vividóq; esse. Non pugnat hoc poculum cum temperantia, siquidem temperans ea quæ vel ad sanitatem vel ad bonam habitudinem faciunt appetit docente* Arist. lib. 3. Ethic. cap. 14. *Quin & expresse mandatum* 1. Tim. 5. *ubi Apostolus hortatur discipulum suum, ut habeat rationem valetudinis inquiens: noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates. Peccant contrà hoc illi qui corpus nimia abstinentia vel nimio aquæ potu macerant seq; emedullant ac enervant, ac gravissimos morbos contrahunt. Nam renes non raro obstruuntur ex materia frigida, idq; frequentiùs in ijs qui victu frigido perpetuo utuntur, maxime vero piscibus quod multoties fieri in Carthusianis piscivoris se conspexisse scribit* Forestus lib. 24. observat. medic. observ. 15. & 25. in schol.

47 III. Poculum hilaritatis *quod identidem concessum*

ut

ut probavimus thesi præcedente. Verùm huic poculo certi sunt statuendi limites: ideoq; (1.) habenda ratio facultatum, ne scilicet ita lætemur, ut & poculis & crumenæ omnem animam intertrahamus, sicq; postea sitis fauces urat. Pessimè enim lætatur, qui unicâ vice hilariorem ac liberaliorem, quam bona ipsius ferre valent, se exhibet, ut postmodum inopiâ torqueatur. (2.) non sit nimis frequens hoc poculum. Rara enim sunt cara, quæ vero quotidiana, crebro usu vilescere incipiunt. Adde quod frequentes poculorum evacuationes marsupium quoq; evacuent ac emungant. (3.) temporis habeatur ratio, non flagrante bello, non grassante lue pestifera, non in obitu Principum aut agnatorum hilaritatis poculum convenit, sed potius tunc malum formidare sibiq; prætimere quisq; debet. Peccant itaq; nostri Germani qui nonnullis in locis, vel pridiè quàm funeribus justa faciunt, epulis ac potationibus indulgent, qualia convivia appellant todwachen / vel etiam ipso exsequiarum die, largissimo cereviſiæ aut vini imbre vitâ defunctum lugent ac deflent.

48. IV. Poculum est ebrietatis ac furoris, quod quia hominem in bestiam transformat ac rationis usu spoliat, multorumq; malorum fons est, damnatur. Nam quam multa faciunt ebrij quibus erubescunt sobrij! Nihil aliud est ebrietas quam voluntaria insania inquit Seneca epistola 83. Cogita quas clades ediderit ebrietas. Hæc acerrimas gentes bellicosasq; hostibus tradidit; hæc multorum annorum pertinaci bello defensa mœnia patefecit; hæc contumacissimos & jugum recusantes in alienum egit arbitrium; hæc invictos acie mero domuit, inquit idem. l. c. Cui væ? cui rixæ? cui querelæ? cui sine causa vulnera? cui rubedo oculorum? nonne his qui sectantur vinum & student calicibus epotandis? ait sapiens Proverb. 23. v. 29. Non licet itaq; poculis certare ac furere.

Quæ enim gloria est caper e multum: Cùm penes te palma fuerit & propinationes tuas strati somno ac vomitantes recusaverint, cum superstes toti convivio fueris, cum omnes vicerit virtute magnificâ, & nemo tam vini capax fuerit, vincerit à dolio.

49. *Quæritur*, III. annon pro alterius salute bibendum? *Inolevit apud nos consuetudo, ut si aliquando animi gratia confluximus pro amicorum salute pocula capacissima uno haustu, ut oculis lacrumæ exprimantur, exsiccare soleamus. Mos sane multis causis detestandus. Dum enim pro alterius sanitate bibimus nostram destruimus ac perdimus, prout experientia quotidiana testatur. Tibi ipsi itaq; creas damnum, neq; alter ullum inde sentit commodum. Si ille lecto affixus ac morborum satellitio stipatus, etiamsi tu exercitum poculorum pro sanitate ejus producas & cum propriæ valetudinis naufragio exhaurias, nullam tamen ille sentit liberationem à morbo.*

Nil prodest illi potus quem nominat absens
Absentem & pro quo plurima vina fluunt,
Nulla salus haustu, non tangunt talia mentes
Nec virtus aut vis nobilitatis inest, *canit Melissus.*

50. *IV. quæritur* an inter convivandum philosophari deceat? *Affirmativa non caret probabilitate, siquidem vino lingua vinclis soluta redditur promptissima, ut non immerito dictum à Poeta.*

Fæcundi calices quem non fecere disertum.

Ennium *quoq; ferunt nonnisi potum ad carmina cantanda accessisse. De* Persis *scribit* Herodotus lib. 1. *quod poti de rebus maximè serijs consultare consuêverint. Contrà sensit* Isocrates *qui aliquando super cœnam rogatus, ut de eloquentia quippiam dissereret, respondisse fertur; quæ præsens locus tempusq; exposcit, ego non calleo, quæ ego vero calleo nec loco*

præ-

præsenti sunt accommoda, nec tempori. Neq; deest ratio: convivia enim hilaritatis & recreationis gratia instituuntur, quæ exulãt si intempestivis disputationibus & altercationibus inquietamur. Accedit quod intensa cogitatio, statim à sumpto cibo plurimum officiat ut docent Medici, quanto magis itaq; nocebit in ipsa cænâ prandiove? Serias itaq; & graves quæstiones quæ intensiores requirunt cogitationes è convivijs exesse saniores merito jubent. Eliminandæ disceptationes Metaphysicæ *de hecceitate Scoti, actu entitativo, de potentiâ subjectivâ & objectivâ,* Mathematicæ *de motu primi & secundorum mobilium, de mobilitate globi terreni,* Physicæ *de materia prima &c. Pythagoricum tamen silentium in convivijs non probandum, ideoq; faciliora ac jucunda quæ exhilarare possunt ex Philosophiæ fontibus hausta in mensa modicè propinare, utile judicamus.*

51. *Altera Temperantiæ Species est* Castitas *quæ modum servat in fruendâ venere licitâ. Per se venus neq; cum lege naturæ, neq; cum divinâ pugnat, siquidem & Deus & natura volunt speciei conservationem. Verum quia plurimum inordinationis est circa actum venereum; castitatis habitu opus est. Non autem solus actus venereus castitatis* objectum *est, sed etiam amplexus, oscula, colloquia, gestus corporis ut vultus, oculorum, pedum manuumq;, quibus omnibus ac singulis multipliciter peccatur. Benè hoc sciebat juvenis ille apud* Platum in Asinar. act. 4. scen. 1. *ideoq; amasiæ tales præscripsit leges:*

Apud forum ne quem oculos adjiciat suos,
Si quem alium aspexerit, cæca continuo siet:
Neq; illhæc ulli pede pedem homini premat,
Neq; cum discedet det cuiquam manum,
Spectandum ne cuiquam annulum det neq; roget,
Neq; illa ulli homini nutet, nictet, annuat &c.

52. *Dividitur castitas in* virginalem *&* conjugalem, *adeoq; statim quæritur* Utra ex his sit melior & præeligenda? *Romanæ Thaidis proci Loiolitæ ac Monachi, virgineam castitatem ad ravim usq; laudibus expectorant atq; ebuccinant, conjugalem autem detestantur ac quàm maximè deprimunt Hinc illa emblemata; statum conjugalem esse contrarium orationi, impedire sanctitatem, esse illecebrosum lenocinium, & arctam ergastuli latebram ut calumniatur* Adelhelmus lib. de virginibus. *Ideoq; multo gravius peccatum esse Sacerdotes fieri maritos, quam si domi plurimas alant meretrices respondit* Campegius Cardinalis legatis Argentoratensibus in comitijs Augustanis teste Sleidano lib. 4. *Quod repetitum à* Francisco Costero in enchirid. cap. 13. *ubi sic scribit: Sacerdos si fornicetur aut domi concubinam foveat, tametsi gravi sacrilegio se obstringat, gravius tamen peccat si contrahat matrimonium. Quid? Ipse Sanctissimus Dominus Noster (scilicet) Papa* Siricius *conjugium vocat statum carnalem, in quo qui vivunt Deo placere non possunt, quæ illius verba allegantur ab* Innocentio dist. 82. cap. 2. Patres Conciabuli Tridentini *aliquot rationes habent, quibus virgineam castitatem conjugali præferunt, quas recenset* Kornmannus in tractatu cui titulus de jure virginum, *si rectè memini*; Clariss: *vero* Theologus D. Chemnitius. in examine Concilij Tridentia *exossat.*

53. *Duplex itaq; status controversiæ est*, I. an castitas conjugalis sit propriè castitas? *Nam novimus quosdam qui non sunt Pontificij malle vocare fidem conjugalem.* II. An virginea sit præstantior conjugali? *Ad prius quæsitum respondemus adfirmativè, rationem damus Ethicam. Nam objectum castitatis est Venus: Venus vel est licita vel illicita. Illicita venus ad illas pertinet actiones quæ mediocritatem recipere non possunt, de quibus* Arist. 2. Eth. cap. 6. *sic ait: Neq; tamen omnis actio omnisq; affectus mediocritatem admittit: nonnulli enim sunt affectus, qui statim vel ipso nomine cum pravitate implicantur, ut malevolentia, impudentia & invidia; & item actio-*

nes

nes ut adulterium, furtum, homicidium: omnia enim hæc & hujusmodi ita appellantur quia non excessus aut defectus ipsorum, sed ipsa mala sunt, ut nullo modo possit quispiam in illis rectè agere, sed peccare semper necessarium sit, nec bene aut non bene se gerat, dum quatenus & quando, & quomodo oportet adulterium committit; sed dum absolute unumquodq; horum facit continuo peccet. Hactenus Aristoteles. Ex his patet malas & illicitas actiones non esse proprium objectum virtutum, quia mediocritatis non sunt capaces; virtus enim est mediocritas. Prout itaq; Metaphysica versatur circa nonens, Physica circa vacuum, non positivè, sed remotivè: Ita virtus omnis & in specie castitas circa malas actiones qualis venus illicita versatur non positivè sed remotivè detestando ac fugiendo illam. Circa licitam autem venerem occupatur quatenus mediocritas in illa servanda. Vides castitatem esse, circa venerem licitam versari moderatè? An ergo castos negabis qui in conjugio vivunt ac licitam Venerem exercent? At, dicunt, impedit sanctitatem. Negamus hoc simpliciter; quia contumeliosum est in ipsum Deum conjugij fundatorem. Sequitur enim, si status conjugalis per se & semper impedit sanctitatem, Deum instituisse statum quendam impium, & veræ pietati contrarium.

54. *Ad II. Respondemus similiter adfirmativè.* Ratio est, quod cuiq; est ἁπλῶς ἀγαθὸν præstantius est eo quod est ἀγαθὸν τινι, ut docet Arist. 3. Top. cap. 5. At conjugalis castitas sive conjugium est ἁπλῶς ἀγαθὸν, quia bonum est toti speciei humanæ quæ per illud conservatur, cælebs autem castitas est ἀγαθὸν τινι, alicui individuo cui tempore persecutionis uxor liberi &c. aggravant onus. Ergò conjugium præstantius cælibatu. Quod autem Paulus 1. Cor. 7. dicit bonum esse homini mulierem non tangere id intelligendum de ἀιρετωτέρῳ, sive de eo quod huic vel illi individuo bonum est. Nam tempore Apostolorum ac in primitiva Ecclesia difficilia & onerosa erant conjugia (1.) ob persecutionum frequentiam (2.) ob conjugum disparitatem, (3.) ob fugæ & peregrinationis difficultatem (4.) propter aliorum incommodorum multitudinem, quæ omnia trutinans Apostolus ἀιρετώτερον ait esse cælibatum.

55. Opponitur Castitati in defectu affectata omnis Veneris Aversatio, qualis in ijs quiomnem cũ sexu fœmineo conversationẽ etiam licitam ac bone-

honestam aversantur &c. In excessu opponitur ei Libido, cujus filiæ sunt, (1.) frivola seminis, honor sit verbo, profusio quæ non sit procreandæ sobolis gratia, quam qui efficiunt mastupratores vocant, Martialis & Petronius. (2.) stuprum quod est illicita virginum defloratio. (3.) scorratio quæ inter solutas personas promiscuè. (4.) Adulterium, quod vel simplex personæ solutæ videlicet cum persona in matrimonio vivente, vel compositum quale committitur à binis in conjugio constitutis. (5.) Incestus seu commistio cum consanguineis &c.

MANTISSÆ.

I.

Stratagema per a pronunciari a multis audimus, imo etiam apud Lexicographos scribi invenimus; rectius tamen effertur per è strategema, cum in Græco στρατήγημα sit η.

II.

Virginitas in quonam sit prædicamento anxiè quærunt Logici? Nos dicimus, in nullo. Quicquid enim in aliquâ Cathegoriâ collocatur est ens. At virginitas non est ens sed modus, nempe negatio conjunctionis ad generandum

III.

Refert Forest. lib. 24. observ. medic. obser. 1. in scholijs, ex Galeno, quosdam integras vini amphoras brevi horarum spatio ad ostentationem haurire visos. Annon Physica reddi potest ratio? Galenus & Forestus causam putant caliditatem renum, qui trahunt à jecore, jecur autem à stomacho. Unde renes calidiores siticulosos ac plurimum bibentes efficiunt.

IV.

Narrant Ælianus & Athenæus fuisse quendam Arcteſtratum vatem qui captus ab hostibus, cum gracillimus esset & lanci apponeretur pondus ejus fuit unius oboli. Nimium temperantem eum fuisse certum est si vera sunt quæ de illo dicuntur. Putamus autem nos cum Hieron. Mercuriali in cosmetic. c. 8. nugas esse ac fabulam.

Exercitationum Ethicarum

SEPTIMA

Cujus sectiones binæ

altera de

LIBERALITATE

altera de

MAGNIFICENTIA.

PROPOSITA

In Illustri Rosarum Universitate

PRÆSIDE

M. IACOBO GERHARDI

Colbergâ-Pomer. S S. Theol. Stud.

RESPONDENTE

HINRICO ICKINGIO

Ansloâ-Norwago.

Habebitur horis locoq; consueto ad diem 13. Januar.

ROSTOCHI

Typis exscripsit Joachimus Pedanus.

ANNO M. DC. XXI.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729272885/phys_0160
DFG

SECTIO PRIOR

DE LIBERALITATE.

THESIS I.

DE Scytarum *moribus agens* Justinus lib. 2. §. 2. *inter cætera sic ait: Aurum & argentum non perinde ac reliqui mortales adpetunt. Hæc continentia illis morum quoq; justitiam edidit, nihil alienum concupiscentibus. Atq; utinam reliquis mortalibus similis moderatio & abstinentia alieni foret; profecto non tantum bellorum per omnia secula terris omnibus continuaretur, neq; plus hominum ferrum & arma, quam naturalis fatorum conditio raperet. Prorsus ut admirabile videatur, hoc illis naturam dare, quod Græci longâ sapientium doctrina præceptisq; Philosophorum consequi nequeunt, cultosq; mores incultæ barbariei collatione superari.*

2. *Eandem quærimoniam cum singultu meritò repetimus adeoq; mirum mirumq; videri proclamamus, quod Germanos postquam expulsa est prisca barbaries, & literæ humaniores relictâ Græcia quæ quondam Musarum domicilium ac emporium, huc commigrarunt, in tantâ morum culturâ tam rabida tamen auri fames exstimulet divexetq;, ut liberalitate quæ sanat illud insatiabile habendi cacoethes summè indigeant.*

3. *Operam itaq; navemus sedulam huic virtuti, quæ ingenuo liberoq; homine quam maxime digna est, imo ab eo nomen*

men sortita est. Apud Æthiopes macrobios as pluris existimari quam aurum, imo hujus tam vilem usum esse, ut Cambysis legati eo profecti, spontes viderint aureis catenis in custodia vinctos, author est Herodotus lib. 2. *& ex eo* Boemus lib. 1. de morib. leg. & rit. gent. *Licet apud nos in majore pretio habeatur aurum, quam multi tamen vincti sunt aureis catenis, qui divitijs serviunt: Ab hac servitute & his vinclis cum nos liberet Liberalitas annon commodum accepit nomen, ut à libero ingenuoq; homine dicta fuerit Liberalitas, cum in servis divitiarum hæc virtus nunquam reperiatur?*

4. Liberalitas *definitur ab* Aristotele 4. Ethic. cap. 2. *quod sit* mediocritas quæ circa pecuniarum dationem acceptionemq; versatur; *qua definitione exprimitur tum objectum, tum duplex occupandi circa illud officium.* Objectum *sunt* χρήματα *quæ hoc loco non significant* stricte pecuniam *sive nummum, Regis aut Principis alicujus sigillo signatum qui est medium justitiæ commutativæ ut disputatione quinta visum, sed* latè *omnes* possessiones; *opes, bona, ut sunt agri, pecora, frumenta, domus &c. Explicat Aristoteles seipse hoc modo l. c. inquiens,* χρήματα δὲ λέγομεν πάντα ὅσων ἡ ἀξία νομίσματι μετρεῖται, *pecunias autem omnia ea dicimus, quorum æstimationem nummus metitur. Consentiunt JCti* l. pecuniæ 178. ff. de V. S. *Pecuniæ verbum non solum numeratam pecuniam complectitur, verum omnem omnino pecuniam h. e. omnia corpora. Nam corpora quoq; pecuniæ appellatione contineri nemo est qui ambiget.*

5. *Circa pecuniam in lata significatione versari Liberalitatem sic probat* Arist 4. Eth. 1. *quia liberalis non in bellicis rebus, neq; in ijs in quibus temperans neq; in judicijs &c. h. e. licet aliquis sine ulla sanguinis sui parcimonia hostibus obviam eat ac pugnet, licet cibo potuq; prout decet utatur, licet*

in

in rerum commutatione mediocritatem servet aut circa quodcunq; aliud aliarum virtutum objectum debito versetur modo, non tamen dicitur liberalis, sed tum solummodo, quando circa pecunias dando vel accipiendo legittimè versatur. Unde sequitur divitias esse duntaxat proprium Liberalitatis objectum, quo à reliquis virtutibus discriminatur.

6. *Quæritur hic* an sola fortunæ bona, an verò etiam bona corporis & animi sint liberalitatis objectum? *Quod circa hæc posteriora etiam versetur, suadere videtur excessus & defectus qui circa hæc bona committuntur. An non enim quis potest robore corporis peccare in defectu, dum Murciæ & Vacunæ vacans otio torpescit? Simili modo in excessu delinquit qui onera humeris graviora suscipiens robur corporis frangit. Sic avari videntur esse illi sapientes qui licet multarum rerum abstrusissimam habeant cognitionem, illam tamen in scrinio pectoris sui occultant, ut nulli quicquam communicare velint. Contra prodigi videntur esse, qui nulla habita ratione loci, temporis ac personarum hiante rictu, si quid callent, evomunt ac expectorant. Item qui subtiles ac spinosas, coram rudi populo in proscenium producunt disputationes, ut videantur acutissimi ac doctissimi. Ita multi prudentes nimis avari, qui cum Reipub. suo consilio prodesse possint, illud tamen non faciunt. Verum adhæc respondemus veram Liberalitatem non versari nisi in bonis Fortunæ, Analogicam autem etiam in reliquis bonis. Analogicè itaq; sapiens, Prudens peccans in excessu aut defectu, dicitur avarus aut prodigus. Stat ergo conclusio: objectum Liberalitatis sunt bona fortunæ sive divitiæ.*

7. *Divitiæ sunt in illorum numero quorum est usus aliquis, quæ propterea vocantur instrumenta, & quibus benè vel malè uti licet*, Arist. l. c. *Unde Comicus, ait divitias esse*

tales prout is qui utitur illis. Talia autem judicari debent instrumenta per se qualia sunt rectè utentibus. Optimè vero unaquaq; re utitur is, qui virtutem unicuiq; rei convenientem habet. Divitijs igitur is optimè utetur, qui ea virtute erit præditus, quæ circa divitias versatur? (prout cytharâ rectè utitur cytharædus) atq; hic ipse vir liberalis est.

8. Cum dictum sit Liberalitatem consistere in dando & accipiendo *quæstio oritur* in quonam magis consistat? *Magis in dando eam consistere adserit* Philosophus cap. 1. lib. 4. Eth. *(1.) quia liberalis est qui benè utitur divitijs. At usus divitiarum potius in dando consistit quam in accipiendo, siquidem acceptio & conservatio potius* possessio *divitiarum sunt quam* usus. *(2.) Virtutis proprium est magis honesta agere quam non agere turpia, beneficio afficere quam affici. At ex datione consequitur ut beneficia conferamus, honestaq; agamus, ex acceptione vero ut beneficijs afficiamur non agamusq; turpia. Ergo & liberalitas quæ virtus est, magis in dando quam accipiendo consistit, (3.) Gratia exhibetur ei qui dat, non autem qui accipit. Ergo magis in dando liberalitas. (4.) Laus debetur magis danti quam accipienti. Ergo. (5.) Difficilius est dare, facilius accipere. At virtus versatur circa difficiliora. Ergo (6.) Liberalitas est virtus quoad alium, vultq; alijs prodesse. Ergo in dando magis consistit.*

9. Quoniam igitur δόσις præstat λήψει, & in utraq; error tum in excessu tum in defectu committi potest, videamus 1. quæ necessaria ad rectam dationem. Illa requisita sex numerantur Finis, Personæ, Quantitas, Qualitas, Locus, Tempus. Finis *rectæ dationis sive actionis liberalis, est sola* honestas; *(loquor autem de fine principali & essentiali, non de secundarijs & accidentalibus) rationem addit Aristoteles, quia omnes ex virtute actiones & honestæ sunt & honestatis causa*

causa fiunt: & liberalis igitur honestatis causa dabit. Inquit igitur aliquis, quid consequar si liberaliter dedero, & hoc gratis fecero? Respondeo cum Seneca lib. 4. de benefic. c. 1. quod feceris. Quod enim honestum est illud per se expetendum, non utilitatis gratia. At virtutis actio est honesta. Ergo est per se expetenda.

10, Hinc repullulant aliquot quæstiones hoc loco decidendæ 1. est, an illi dicendi liberales qui dant ostentationis gratia? Fecerunt olim hoc Pharisæi qui liberalitatem exercuerunt coram hominibus ut viderentur ab illis, quem morem reprehendit Salvator noster Matth. 6. v. 1. & seqq. Pharisaicum hunc liberalitatem exercendi modum fortean adhac hodie in multis invenias, qui elargiuntur ut videantur & si quicquam dederint omnibus notum esse volunt. Tales autem non parum ab hujus virtutis tramite deviant, & propterea licet multum dent, Liberales minime dicendi. Nam finis diversificat actiones, sive ut latiùs dicam, facit discrimina actionum. Ergo quæcunq; actio non dirigitur ad verum & genuinum Virtutis finem, illa virtuosa non est dicenda. At actio quâ quis dat ostentationis gratia est talis. Ergo non est virtuosa. Si autem non est virtuosa, ergo nec liberalis.

11. Quæritur 11. An liberales qui dant, ut liberentur ab importunitate petentis? Negamus (1.) quia talis actio non spectat verum liberalitatis finem. Ergo non est liberalis. (2.) Actiones virtutum sunt spontaneæ. At qui dat compulsus importunitate roganti, illius actio videtur potius vi extorta, unde tales cum aliquid à se petituros alios suspicantur, accessum & alloquium illis denegant; si autem concedunt, nasum crispant, caperant frontem, vultum avertunt, aut occupationes simulant, longis sermonibus & de industria exitum non invenientibus occasionem petendi præscindunt. Quomodo

ergo

ergo liberalis esset, qui timidè negavit, aut promisit sed difficulter, sed subductis supercilijs, sed malignis & vix exeuntibus verbis, & fatigatus ut molestia careret, dedit? Animus promptus requiritur in liberalite ut paulo post dicemus.

12. III. quæritur, Num liberales qui dant ut sibi concilient favorem & majora reportent? Sunt qui cum inhient bonis quæ alter possidet, aut etiam amplis honoribus, donis, penes quos illa bona sunt, demulcere satagunt, ut ita bolum cui insidiantur consequi queant. Exempla sunt admodum frequentia ubivis locorum. Inprimis subdole hanc astutam liberalitatem exercuerunt Pontifices Romani, antequam ad Pontificatum evecti, prout Platina, ipse Pontificiæ religioni addictus, eâ de re conquæritur inquiens: eo Papatus devenerat: ut qui largitione valeret is solus dignitatis gradum bonis oppressis & rejectis obtineret. Notabile præ alijs præbet exemplum Alexander VI. natione Hispanus, ante Rodericus Borgia nuncupatus, qui ingenio semper astutè liberali, quibusdam Senatoribus per comitiales dies non occultâ largitione corruptis, cum potiores ejus ordinis solis innixi virtutibus repulsam tulissent, Pontificatum adeptus est, ut de eo testatur Paulus Jovius, idem quoq; Pontificius lib. 1. mihi p. 13.

13. Quid de tali honorum mercatura sentiendum sequenti disputatione aperiemus, impræsentiarum hoc agamus adeoq; duntaxat videamus an propter talem largitionem quis dicendus liberalis? Negativa sua radiat luce. (1.) Finis Liberalitatis est honestas non utilitas. Ergo qui utilitatis gratia dant ut majora reportent non sunt liberales. Quin imo finem habent Liberalitati plane contrarium, turpe lucrum videlicet & quæstum. Dare eo animo ut majora reportes, turpis feneratio est inquit Seneca lib. 1. de benef. c. 2. Istud non est beneficium, sed fænus, circumspicere non ubi optimi

optime reponas, sed ubi quæstuosissimè habeas, unde facillimè tollas. Beneficiorum simplex ratio est, tantum erogatu: si non reddit damnum non est: nam ego illud dedi, ut darem. Nunquam vir bonus est exactor, alioquin beneficia in formam crediti transeunt; idem l. c. Beneficium dare virtutis est, & turpissimum id causa ullius alterius rei dare, quàm ut datum sit. inquit idem lib. 4. cap. 1. de benef. (2.) Si recipiendi spe tribueret, locupletissimo cuiq; non dignissimo daret. At diviti malo præfert pauperem qui vir bonus. Ergo liberalis non dat majoris boni consequendi gratia.

14. Alterum requisitum in rectâ largitione pensitandum diximus esse Personam, quæ duplex dantis & accipientis: In dante requiritur (1.) justa ætas, siquidem in puerilem ætatem prout nulla cadit virtus, ita neq; liberalitas, propter rationis usum quo destituuntur. (2.) Promptitudo & hilaritas ad dandum. Liberalis dat ἡδέως καὶ ἀλύπως jucundè & sine dolore, quia quod ex virtute fit, id vel cum voluptate vel certè sine dolore efficitur, minimeq; molestum est, inquit Aristoteles. Resolvi possunt ex dictis binæ quæstiones quarum I. est an Liberalitas etiam in pauperem cadat? Nam quia haud facilè inveniuntur qui omni penitus re destituantur, adeoq; quibus non sit unicus atq; alter obolus, non est cur negitemus pauperes quoq; liberales esse posse. Hæc enim virtus non versatur circa magnas facultates erogandas, ut Magnificentia, sed tantum mediocres imo etiam parvas & exiguas, quibus qui rectè utitur liberalem cur negemus? Circa quod objectum enim potest esse excessus & defectus circa illud etiam datur mediocritas. At pauper habens unicum nummum potest esse prodigus, dum illum elargitur cum retinere debebat, & avarus dum illum retinet quando elargiri honestas postulat. Imo si quis bonis exasse fuerit privatus, per bella, incendia, aquarum inundationes alioq; casu, ut ita li

beralitatem exercere nequeat, tamen si antè bonis amissis moderatè & honestè fuerit usus, & etiamnum promptum habeat animum bonis, si suppeterent, rectè utendi fundamentaliter liberalis est licet non formaliter, si autem jam antea sibi acquisivit habitum post amissionem bonorum liberalis est etiam formaliter actu primo, quamvis non secundo.

15. II. *quæstio est,* an semper liberalior sit qui plura elargitur? *Negat* Aristoteles cap. 2. lib 4. *inquiens non in multitudine eorum quæ dantur sed in habitu ejus qui dat, actio liberalis consistit. Nam potest fieri ut quis pauca det, hilariter & cum jucunditate, cum alius quidem plura elargiatur sed difficulter & gravatim. Cum itaq; virtutis actiones sint spontaneæ, hilares &c. sequitur eum qui hilariter dat pauca esse liberaliorem eo qui plura dat gravatim.* Rectè Seneca lib. 1. de benef. c. 6: Non quid fiat aut quid detur refert sed qua mente; *quia beneficium non in eo quod datur aut fit, sed in ipso dantis aut facientis animo.* Et cap. 7. *Nonnunquam magis nos obligat qui dedit parva magnificè; qui regum æquavit opes animo; qui exiguum tribuit sed libenter; qui paupertatis suæ oblitus, dum meam respicit. Confirmat hoc ipsum Christus* Luc. 21. v. 1. *ubi dicit viduam illam pauperculam, quæ duos obolos immiserat in Gazophilacium, plus dedisse quam reliqui divites omnes.*

16. In accipiente *requiritur ut sit* dignus *beneficijs. Unde quæritur* I. an liberalis promiscuè omnibus dare teneatur? *Negativam arripit* Aristoteles cap. 2. *ubi ait:* ὃ δὲ τοῖς τυχοῦσι δώσει ἵνα ἔχῃ δίδωσι οἷς δεῖ, καὶ ὅτε καὶ οὗ καλόν, *h. e. neq; dabit quibuslibet ut habeat quod det quibus oportet, & quando & ubi honestum est. Dignus autem est vir bonus nostra ope indigens. Ideoq; peccant in leges Liberalitatis qui in scorta bona effundunt, vel etiam illis quicquam*

dant

dant qui scortando, commessando, compotando aut ludendo sua absumunt. Primo enim conferunt bona in malos & indignos; deinde subministrant materiam quâ abuti & male agendo possunt progredi.

17. Quæritur II. An igitur improbo homini, extremè indigo nihil plane sit dandum? Aristoteles, cum ab eo eleëmosynam efflagitaret homo improbus, sed summè egenus, dedit, & cum obid reprehenderetur, respondit non homini sed humanitati. Idem & nos faciamus & ex speciali Liberalitate, quæ circa Eleëmosinas occupatur, egeno quamvis malo succurramus, cogitemusq; quam innumera bona Deus in nos conferat indignos. Quam multi indigni sunt luce, & tamen dies oritur inquit Seneca lib. 1. de benef. c. 1. Imò Christus ipse illo usus est argumento Matth. 5. v. 44. & seqq. ego dico vobis benefacite illis qui oderunt vos, ut sitis filij Patris vestri qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos & pluere super justos & injustos. Possumus tamen & hic prudentiâ duce pauperes dignores indignioribus præferre, secundum illud Apostoli Galat. 6. v. 10. ergo dum tempus oportunum habemus, simus benefici erga omnes maximè vero erga domesticos fidei.

18. Cum duplex error circa personam committi possit, ut scilicet vel detur indignis, vel dignis non detur, quæstio oritur uter error sit pejor? Major videtur esse error non dare dignis, siquidem hoc est officium liberalis quo non est functus quando dignos præterijt. Unde docet Aristoteles, Liberalem magis ægrè ferre, si quod oportuerit non expenderit, quam dolore, si quid expenderit quod minime debuerit. Nam non magni æstimat pecuniam, ideoq; minus dolet si illius fecerit jacturam. At quod sui est officij, & quod facere tenetur quomodo non æstimaret magni. Ergo merito ægre fert

quando dignis non dedit, h. e. suum non fecit officium. Talis fuit Titus qui super cœnam recordatus, quod nihil cuiquam toto illo die præstitisset, memorabilem illam meritoq; laudatam vocem edidit: AMICI DIEM PERDIDI, S. Aurel. Victor in Tito, & Suetonius lib. 8.

19. *Tertium requisitum est* Quantitas, *quam ex parte* dantis *determinat* Facultas, *ex parte* accipientis Necessitas & Honestas. *Dicit quidem* Aristoteles 4. Eth. 2, *Liberalis viri esse, sibi relinquere pauciora, quippe* cum ad se *minime respicere liberalis viri sit; sed mox addit:* liberalis tamen pro facultatibus *dicitur. Et paulo post: is est liberalis qui* pro facultatibus, *& in ea quæ debet sumptus facit. Rationem dedit in antecedentibus: Liberalis, inquit, res suas non negliget, ut habeat quod det, quippe cum ex ipsis velit aliquibus suppeditare. Respiciendæ sunt, inquit* Seneca lib. 2. cap. 15. de benefic. *cuiq; facultates suæ viresq; ne aut plus præstemus quam possumus aut minus. Dabo egenti, sed ut ipse non egeam; succurram pereunti, sed ut ipse non peream. Peccant itaq; illi qui tantum erogant, ut ipsi detrimentum rei familiaris sentiant, adeoq; ut ipsis sit tribulatio, alijs relaxatio, quod displicet* Apostolo 2. Cor. 8. v. 13.

20. Necessitas *quoq; &* honestas *bene considerandæ, h. e. videndum quantum sit necessarium ad honestam vitam accipienti. Prout enim quædam minora sunt quam ut à magnis viris exire debeant; ita quædam etiam accipiente sunt majora. Et sicuti Liberalis necessaria non denegat; ita non necessaria præsertim si accipiens male illis utitur, non profundit. Ideoq; hic delinquunt, qui illis dant, qui commessationibus indulgent, & sic omnia dilapidant; item qui in vestitu luxum exercent. Talem enim largitionem nec Necessitas, nec Honestas efflagitat, neq; accipiens illâ quicquam*

juva-

juvatur, sed potius ei datur ansa ulterius sese collatulandi in vitiorum cæno.

21. *Quæritur hoc loco, I.* an liberalis possit fieri dives? *Negamus cum* Aristotele, *idq; probamus à proprietatibus liberalis, quarum I est, quod non sit ἀιτηπικὸς i. e. petax, nec magnifaciat pecunias. At qui vult ditescere ille debet esse ἀιτηπικὸς debet pecunias magnifacere & attentus esse ad rem. II. Liberalis non tantum non est petax, sed neq; λεπτικὸς h. est pronus ad accipiendum. At vero qui non propendet ad accipiendum quomodo is divitias accumulare potest? III. Liberalis est δοτικὸς proclivis ad erogandum. At hac ratione nemo opes auget sed deminuit; addendo non demendo & minuendo ditescimus. Concludimus ergo Liberalem non facile ditescere.*

22. *II. Quæstio est,* An Magistratus sive judex debeat accipere munera? *Non de facto sed jure, non quid fiat sed quid fieri debeat quæritur. Si quis voluerit se nobis hic opponere pertinaciter ac dicere, quod mos accipiendi munera admodum frequens apud multos hodie sit, ei hoc ambabus largimur ulnis, & concedimus fortean reperiri, qui tritum illud ingeminant:*

Quis posset (reminiscere)
Armatis tot resistere,
Illorum non in gratiam
Limare juris regulam,

sed tamen revocamus nobis in memoriam, quod Plato hic jubeat acquiescere, neq; ad singularia descendere. In universalium contemplatione non tam periculosa est via, hanc igitur prensare placet.

23. *Quæris igitur an liceat judicem sumere munera? Respondeo* non licet. *Nam repugnat (1.) Liberalitati, con-*

tra quam peccatur, si quis accipit, quem accipere non decet. At talis est judex, cui fas non est quicquam muneris accipere ab eo qui coram se judicio contendit. Petit probationem non esse fas, sumere donaria? En, quia non postulat illud Necessitas, cum non adeo egenus sit, neq; desint ei alij reditus quibus vitam commodè & honestè sustentare valeat; unde etiam sequitur quod pugnet cum Honestate, siquidem talis judex incurrit avaritiæ notam. Avaritia enim est sumere unde non oportet. At à litigantibus in judicio non oportet judicem sumere pretium sed ratione officij justitiam administrare. Ergo. (2.) periclitatur justitia, cum munera optimos interdum in transversum agant. Unde Lysias interrogatus, cur munera à Messenijs oblata non acceptasset? Quoniam inquit, in leges justiæ graviter peccassem. Nam

——— malè verum examinat omnis.

Corruptus judex, inquit Horatius lib, 2. satyr. 2. Narrat Caspar Ens Epid lib. 2. judicem quendam cadum oleo plenum dono accepisse: paulo post adversarius ejus eodem judici porcum præpinguem dono misit. Latâ contra priorem sententiâ, cum ille judicem tanquam ingratum & promissi parum memorem accusaret, Judex dixit ne id mirum tibi videatur. In meas enim ædes porcus irrupit, qui everso cado, oleum mihi omne perdidit: ex quo factum ut doni tui plane fuerim oblitus. (3.) repugnat legi divinæ, quâ severissime sub gravissimarum pœnarum interminatione prohibentur munera accipere judices. Munus ne accipito; nam munus ipsum excæcat oculatos, & pervertit verba justorum Exod. 23. v. 8. Ne pervertito judicium, ne accipito personam, neq; suscipito munus, quia munus excæcat oculos sapientum & pervertit verba justorum Deut. 16. v. 19.

24. Dicat aliquis, non omnem judicem muneribus à justitiæ

stitiæ tramite deflecti posse: Ideoq; illis licitum esse sumere munera, qui his non corrumpuntur. Respondeo, non statim si unicum telum aliquos non ferit, statim eos à reliquis quoq; esse immunes. Ut ut enim quis sit Rhadamantus h. e. rigidus justitiæ executor, qui non patiatur se donis expugnare, tamen accipiens munera peccat contra liberalitatem, & avaritiæ labe polluitur. Imo & in justitiam peccat dum sumit dona ab eo qui injustam habet causam, quemq; non juvat aut juvare potest. Hic enim non tantum injustâ causâ (quod justum) cadit, sed etiam oblatorum judici bonorum naufragium patitur. Adde, licet propter donum neq; judex neq; judicium inflectatur, reddit tamen & se & judicium alijs suspectum. At vir bonus ita vitam instituere debet, ut etiam suspicione malâ careat. Respuat itaq; Judex munera, ne sibi aut officio maculam aspergat. Semper obversetur oculis ipsius simulacrum Justitiæ quæ priscitus absq; manibus fuit depicta teste Diodor.

25. Quartum requisitum est Qualitas, puta rerum illarum quæ erogantur. Nam liberalis dat utilia quæ prodesse possunt accipienti, non vero quæ nocent. Sane male-liberalis foret qui vina toxica, cibos venenatos aut similia perniciem allatura elargiretur. Non est beneficium, quod non tantum non conducit ad bene esse, sed ipsum esse tollit, sed potius maleficium & viro bono indignum. Ita quoq; minime dicendi liberales qui pecuniam corruptam, falsos nummos, merces putridas in aliquem conferunt. Nihil enim prosunt talia accipienti, imò insuper sæpenumero multum nocent, qualia præcipue sunt corrupti cibi ac potus, quibus sanitas expugnatur & morborum agmina contrahuntur. Satius est illa non dare, quam afflicto afflictionem addere.

26. Quintum requisitum est Locus, de quo agitatur quæstio:

Quæstio, *ubi dandum* an in loco publico & palàm, an in privato loco & clàm? *Respondemus non pugnare cum liberalitate publicè elargiri, cum virtutis actio utpote bona & honesta non in tenebris sed in luce peragenda. Sed & alia ratio est quæ suadet exercere liberalitatem in publico, ut scilicet, conspiciatur ejus splendor, & alij ad sectandam eam inflammentur. Mirùm enim quantum valeat, bonos bono prælucere alijs exemplo, & viam ad benè agendum commonstrare. Summè vero necessaria est cautelà, ut is qui publicitùs dat, non faciat illud ambitiosè ad ostentationẽ, de qua re supra actum. Deinde etiam considerare oportet, quales sint illi quibus dandum. Quæ enim erogantur ad sublevandam inopiam eorum qui claro genere nati, ea secretò dari convenit, ne rubore publice perfundantur. Liberalis enim vir bonus est qui non lætatur de alicujus malo, sed potius commiseratione pungitur; ideoq; miseriam eorum qui à conspicuis parentibus, avis & proavis originem trahunt, palliare & occultare potius quam propalare ac maledicorum oculis ac ori quasi scopum erigere, quo venenata linguæ jacula dirigant, allaborat. Præcipiunt itaq; omnes auctores sapientiæ, ait* Seneca lib. 2. c. 9. de benefic. *quædam beneficia palam danda quædam secretò. Palam quæ consequi glorioſum est, ut militaria dona & honores, & quicquid aliud notitia pulchrius sit. Rursus quæ non producunt, nec honestiorem faciunt, sed occurrunt infirmitati, egestati, ignominiæ tacitè danda sunt, ut nota sint solis quibus prosunt.*

27. *Sextum requisitum est* Tempus, *quod determinat Necessitas, tunc scilicet dandum quando necessitas efflagitat, & res postulat, & tunc quidem dandum absq; procrastinatione. Sic demus quomodo vellemus accipere; ante omnia libenter, cito, sine ulla dubitatione. Ingratum est beneficium quod diu inter manus dantis hæsit, quod quis ægrè dimittere visus est,*

est, & sic dare tanquam si sibi præriperet. Proximus est negan-
ti qui dubitavit, nullamq; meretur gratiam. Nam cum in
beneficio jucundissima sit tribuentis voluntas, qui nolentem
se tribuisse, (viden' rationem?) ipsa cunctatione testatus
est non dedit sed adversus ducentem male tenuit inquit Seneca
lib. 2. c. 1. de benefic. Et cap. 6. ejusdem libr. scribit: in
omni negotio Liberalis non minima portio est, quomodo quicq;
dicatur aut fiat. Multum celeritas fecit, multum abstulit mo-
ra. Sicut in telis eadem ferri vis est; sed infinitum interest, u-
trum excusso lacerto torqueantur, an remissa effluant &c. Vis
hæc à Senecâ prolixè dicta, demtis cincinnis, brevi includam
Syllogismo? Ecce tibi illum: Actiones ex virtutibus, & sic
etiam ex Liberalitate prodeuntes sunt spontaneæ, hilares q;. At
quando quis non dat tempestivè sed cunctatur & tergiversatur,
non dat hilariter, promptè, nec purè spontaneè, quod ipsum
cunctatione testatur. Ergo talis non est dicendus Liberalis.

28. Deinde qui tempestivè dando succurrit, plus juvat
quam qui serò, quia in principio possumus malum impedire,
quod indies ingravescit, & postquam adolevit non adeo facile
exturbari potest. Principijs obsta, &c. Et melius est præve-
nire quam præveniri. Innuit hoc etiam Seneca cap. 5. lib. 2.
de benefic. his verbis. Cum plurima beneficia remedium ali-
cujus rei afferant, qui aut diutius torqueri patitur, quem pro-
tinus potest liberare, aut gaudere tardius, beneficio suo manus
affert. Omnis benignitas properat, & proprium est libenter
facientis, cito facere &c. Quia igitur Liberalis sua copia al-
terius inopiam sublevare vult, tum quàm maximè succurrere
debet, cum ei maximopere prodesse potest. At nunquam ma-
gis prodest quam si tempestive dando ei succurrat. Ergo da-
bit Liberalis citò absq; procrastinatione.

29. Vidimus hactenus quomodo mediocritas in eroganc-

do &

do & accipiendo servanda, sequitur porro ut excessum & defectum consideremus. Opponitur enim Liberalitati duplex vitium alterum in excessu *alterũ* indefectu *siquidem possumus in dando & accipiendo modum excedere, & deficere. Vitium quod in dando excedit & in accipiendo deficit, vocatur* Profusio : *quod vero in dando deficit & in accipiendo excedit,* Avaritia *indigetatur. Græcis hoc vitium dicitur* Ἀσωτία *& qui eo laborat* ἄσωτος *inservatus quasi seipsum perdens, siquidem sui ipsius perditio videtur esse bonorum dissipatio, utpote cum ea sint ex quibus vitam traducamus, inquit* Aristoteles cap. 1. lib. 4.

30. *Prout autem recta datio sex requisitis circumscribitur, ut sunt Finis, Personæ, Quantitas &c. ita profusio committitur quando illa requisita negliguntur, adeoq; datur non honestatis gratia, sed in alium finem, neq; quibus, neq; quantum, neq; quale, neq; quo loco, neq; quo tempore debetur. Est porro duplex prodigalitas, altera* simplex *nempe eorum qui facultates profundunt, & nihil iterum accipere cogitant, altera* conjuncta *cum alijs pluribus vitijs, & est eorum qui non tantum facultates suas temere profundunt sed etiam alijs bona sua auferunt, ut ita suppetat illis quo prodigalitatem exercere queant, ideoq; non solũ prodigi sunt, sed etiam injusti, rapaces &c.*

31. Avaritia *est vitium quo quis excedit in accipiendo & deficit in dando, unde non uniformis est avaritia, sed triplex.* Prima *est eorum* qui deficiunt in dando *duntaxat, nihil autem injuste adpetunt vel accipiunt, quales vere nominantur* præminummi Druckpfenninge. Arist. *talis dicitur parcus, tenax, restrictus, retractus,* κυμινοπρίστης cuminiseca, *qui vel cuminum, granum sat parvum, in plures secare partes non erubescit, pra nimia tenacitate, ne scilicet nimium det nempe integrum granulum. Causa ob quam hi non adpetunt duplex*

assigna-

assignatur ab Aristotele, 1. quidam non appetunt aliena neq; accipere volunt ob probitatem quandam turpiumq; rerum evitationem. 2. ob timorem ab alienis abstinent, propterea quod rarum sit, si aliquis aliena acceperit, quod alij ab eo vicissim quicquam non accipiant; iccirco quia non volunt dare, etiam accipere non audent, quia sciunt beneficium accipere esse libertatem vendere.

32. Altera species avaritiæ est, qua quis excedit accipiendo, dum & undecunq; & quodcunq; accipere non veretur, licet etiam det alijs. Huc refert Aristoteles illos qui illiberalia opificia exercent, ut lenones, item fœneratores qui parva magnis cum usuris recipiunt, siquidem hi omnes neq; unde debent, neq; quantum debent accipiunt. Ad hanc classem pertinent etiam Medici circumforanei qui viles & inutiles imo sæpe falsas ingenti præconio prostituunt & hoc modo divitias corradunt, prout etiam in genere omnes mercatores qui adulterinas merces pro genuinis divendunt; item qui per lusum bona acquirunt.

33. Quærat aliquis an lusus virum bonum & Christianum dedeceat? Ad hanc quæstionem determinandam distinctione opus est. Quidam enim lusus lucri gratia, quidam instituuntur ad depellendam mœstitiam. Priores virum bonum & liberalem non decent, unde & Aristoteles aleatores avaris adnumerat. Nam (1.) accipiunt turpis lucri gratia, sicq; non observant finem virtutum (2.) accipiunt ab illis à quibus non debebant, nempe ab amicis, quibus dare deberent (3.) non servant quantitatem, sed plus quam par est accipiunt, & crumenas alteri sæpe penitus emungunt. Posteriores ad fallendum tempus & mœrorem temperandum instituere licet. Sed dicat aliquis porro annon licet per talem lusum aliquid lucrari? Licet quidem sed hac conditione, ne alteri sit detrimento, & res ipsius

in periculum ducantur. Nam per lusum vel omnia vel magnã obnorum partem alterius ad se trahere, nihil aliud est quam per fraudem proximum spoliare, quod nec viri boni est neq; Christiani.

34. *Deniq; ad secundum hoc genus avarorum pertinent qui per* vim *bona alterius ad se transferunt, quod faciunt latrones, prædones, pyratæ & qui sunt alij hujus monetæ homines, qui maxima pericula acceptionis gratia subeunt. Hi & à quibus, & quantum & quomodo non oportet accipiunt, ideoq; pessimi sunt. Possunt huc etiam referri Tyranni qui urbes depopulantur & templa diripiunt, quamvis Aristoteles hos malit appellare,* impios, improbos & injustos, *4. Ethic. 3. Tertia species avaritiæ est ex prioribus duabus composita & quasi complicata, ideoq; utroq; modo peccat, nempe in accipiendo modum excedit, in dando vero deficit. Tales avari sunt omnium pessimi, quia eorum cupiditas inexplebilis, & verum divitiarum usum tollunt, nulliq; prosunt.*

3. *Quæritur hoc loco* utrum vitium sit deterius profusio an avaritia? Aristoteles *avaritiam deteriorem esse ait, (1.) quia est incurabilis & cum ætate accrescit, hominemq; ad extremum vitæ articulum comitatur, ut in senibus conspicitur. Unde noster Philosophus inquit: senectus & omnis imbecillitas illiberales reddit. At profusio curari potest, tum per ætatem, prout ita multi qui in juventute fuere prodigi, progressu temporis addiscunt servare modum in dando, tum per inopiam, quæ postquam bona profusione exhausta cogit finem dandi imponere, (2.) quia prodigalitas majorem habet cognationem cum Liberalitate quam avaritia, siquidem prodigus de ijs quæ possidet derivat foras ac benefacit alijs, sicq; multis prodest. At avarus prodest nulli, imo ne sibi ipsi utilis est, aridior est pumice, ut facilius ex hoc aquam exprimas quam ex Euclione aliquo nummum,*

mum. *Hinc Poeta* Horatius lib. 1. Satyr. 1. *satirico sale defricat avarum sordidum & siniſtros, populi ſermones ita ſpernentem:*

——Populus me ſibilat: at mihi plaudo
Ipſe domi ſimul ac nummos contemplor in arcâ.
At ſi condoluit temptatum frigore corpus
Aut alius caſus lecto te affixit; habes qui
Aſſideat, fomenta paret, medicum roget, ut te
Suſcitet ac reddat natis charisq; propinquis.
Non uxor ſalvum te vult, non filius, omnes
Vicini oderunt, noti, pueri atq; puellæ.

Concludimus itaq; avaritiã eſſe peiorem prodigalitate. Sequitur

Sectio altera

De MAGNIFICENTIA.

1. *Magnam cum Liberalitate affinitatem habet* Magnificentia, *ut non ſit ſupervacaneum quærere* quomodo binæ virtutes hæ inter ſe differant, an ſpecie an gradu duntaxat? *Prius arridet* Dn. Hunnio diſp. Ethic. 7. *theſi ſecunda. Poſterius videtur approbare* Ariſtoteles 4. Ethic. 4. ubi ait: *Magnificentia quoq; eſt virtus quæ circa pecunias verſatur, nõ in omnes tamen quæ ad pecunias ſpectant actiones diffunditur ſicut Liberalitas, ſed in ſumptuoſas tantum, atq; in his liberalitatem magnitudine excellit. Et paulo poſt: qui eſt magnificus, liberalis etiam continuo eſt, liberalis autem non continuo magnificus. Ex quibus Philoſophi verbis elucet binas has virtutes gradu tantum inter ſe differre. Ratio eſt quia non verſantur circa objecta ſpecie diſtincta, ſed gradu ſolum differentia, cum Liberalitas circa mediocres pecunias occupata ſit, Magnificentia autem circa magnas. Atqui magis & minus non variant ſpeciem ut habet regula Logica. Ergo.*

2. *Neq; obſtat, quod Dn. Hunnius objicit, differre virtutes ſpecie etiamſi objecta ſpecie non varient, ſi modo diverſi-*

mode tractentur, idq; luculenter patere tum ex exemplo liberalitatis & justitiæ quæ ambæ περὶ τὰ χρήματα, tum ex eo quod virtus & illi opposita vitia circa idem versentur objectum, & tamen virtutem à vitijs specie imo plus quam specie differre. Respondemus antecedens illud quidem esse verum, non autem hoc consequens quod tractandi modus in Liberalitate & Magnificentia sit specie diversus. Nam dare est propria actio Liberalitatis: at dare & sumptus facere est etiam magnificentiæ proprium.

3. *Definitur* Magnificentia *quod sit* virtus in magnis sumptibus mediocritatem servans. Objectum *itaq; sunt* sumptus magni, *quibus hæc virtus à liberalitate discriminatur, siquidem liberalitatis objectum sunt* χρήματα *indefinitè omnia, magnificentiæ vero non omnia sed definita & certa: unde & Liberalitas in quibuscunq; erogationibus etiam minus sumptuosis, magnificentia autem duntaxat in sumptuosis est. Ideoq; Aristoteles ait: qui in parvis aut mediocribus sumptus facit pro dignitate, magnificus minime dicitur; ut id:* Mendico poscenti panem sæpe ferebam: *sed qui in magnis, quod ipsum nomen innuit.*

4. *Actio itaq; Magnifici spectatur in ijs impensis quæ & maximæ & honorificentissimæ quales sunt (1.) quæ ad divinum cultum pertinent ut ædificare templa, & quæ huc pertinent, altaria, statuas item scholas tam minorum quam majorum gentium, illasq; collapsas restaurare & conservare, (2.) quæ ad publicum civitatis usum & ornatum pertinent, ut exstruere vel renovare propugnacula, mœnia, porticus, aquæ ductus, instituere ludos, spectacula, epulas publicas &c. Exemplum habemus in Augusto Cæsare qui urbem Romam pro majestate imperij non satis ornatam, adeò excoluit, ut* jure *sit* gloriatus, marmoream se relinquere quam lateritiam accepisset. *Publica opera plurima exstruxit quæ recenset* Suetonius in Augusto. *Magnificus quoq; fuit Vespasianus, qui similiter nova opera fecit,*

fecit, Templum Pacis &c. Suetonius in Vespas. (3.) privatæ, quæ pertinent ad ipsum magnificum & ejus familiam, ut nuptiæ, convivia quibus vel excipiuntur amici vel hospites peregrini. Elegans exemplum præbet Cimon Athenienſis qui non tantum ſepes agrorum ſuorum ſuſtulit, ut & hoſpites & ex civibus qui opus haberent, fructibus illorum impune poſſent frui, ſed etiam domi ſuæ cœnam frugalem, multis ſufficientem apparavit, ut quicunq; pauperum vellet, eam adiret, alimentaq; nullo labore parta haberet. Comitabantur quoq; Cimonẽ aſſiduo quidam familiares adoleſcentes; ij ſi quis ſenior ex civibus Cimonem compellaret malis veſtibus indutus, cum eo veſtimenta mutabant. Idem adoleſcentes multum ſecum pecuniæ ferentes pauperibus in foro, ſi quos ope digniores videbant, occultè nummos in manus immittebant, ut refert Plutarchus in Cimone. Deniq; Magnifici etiam eſt ædes exſtruere ut divitijs conveniant, item hortos, prædia, & ſibi comparare ſuppellectilia, veſtimenta, vaſa aurea &c. quæ ei poſſint eſſe ornamento.

5. Datur hic anſa quærendi de ſubjecto hujus virtutis an magnificentia cadat in quemlibet hominem? Reſpondemus negando, ſiquidem multis non ſuppetunt tantæ divitiæ, ut poſſint hanc virtutem exercere, cum ut dictum non in exiguis ſed magnis ſumptibus tantum occupetur. Ideoq; pauper nequaquam eſſe magnificus poteſt, cum ea nõ habeat ex quibus magnos ſumptus decenter facere queat. An igitur magnificus qui magnos facit ſumptus? Negandum & hoc, quia etiam ad agentem debet haberi relatio quis nam ille ſit. Digni enim hus eſſe ſumptus debent, & non ſolum operi verum etiam facienti decenter eſſe accommodati, ut inquit Ariſtoteles. Non enim convenit omnibus magnos facere ſumptus, etiamſi habeant unde poſſint, ſed decet tantum illos qui ſunt nobiles & illuſtres adeoq; alios vel genere vel virtute, dignitate & authoritate antecellunt. Tales enim magnitudinem in ſe habent & dignitatem, unde illos de-

cet

cet magnos facere sumptus. Si autem pauper, obscurus & minus clarus aggreditur hoc eum stultum vocat Philosophus noster, quia præter dignitatem agit, prætereq; id quod oportet c. 5. lib. 4. imo non honestatis gratia, sed ostendendarum divitiarum causa faciet, ut inde in admirationem sui homines adducat 4. Eth. 6. At magnificus sumptus facit honestatis causa commune enim hoc est virtutibus omnibus. Ergo.

6. Culpandi itaq; illi, qui licet illis res angusta domi, ne tamen videantur tam dejectæ sortis, ab alijs pecuniam mutuo accipiunt, magnosq; faciunt sumptus. Nam quisq; debet ita sumptus facere, ut non superent facultates, alias sumptus non fiunt rectè: id autem secundum virtutem est quod rectè fit. Sed nec illi dicendi sunt magnifici, qui bona ex quibus sumptus faciunt illegittimo modo acquisiverunt, ut vi, veluti furto, rapinis &c. & fraude &c. item qui turpia magnis sumptibus promovent ut qui scortis lupanaria sumptuose extruunt. Magnificus tanquam vir bonus mala & inhonesta non promovet, sed duntaxat honesta, eaq; quæ sunt pulcherrima & diuturna, & in singulis decorum observat. Nam non eadem sunt Dijs & hominibus, aut ad templum & sepulchrum ornandum accommodata, inquit Arist. 4. Eth. 5.

7. Opponitur *Magnificentiæ* in defectu μικροπρέπεια, quod vitium Latini sordes *indigetant*; estq; intempestiva ac indecora parsimonia sumptuum in operibus necessarijs quæq; ad honorem tuendum faciunt. In excessu eidem opponitur Luxus, qui est non necessaria in res nec privatim nec publice utiles, ostentationis gratia facta profusio. Laborabit hoc vitio Lucullus, quem Plutarchus in Lucullo, scribit in sumptuosis ædificijs exstruendis pecuniam profudisse, & novum genus divitiarum in quotidianis cænis ostentasse &c. Cum Græci quidam Romam venerant, illosq; per aliquot dies Lucullus convivio excepisset, Græcanica verecundiâ tandem moti, cum invitarētur recusarunt, quod propter se tantos quotidie sumptus fieri nollēt. Hic Lucullus subridēs; Sane, inquit, non nihil propter vos fit, sed plæraq; propter Lucullum. Solus cum cænaret, esset q; una tantum mensa & mediocris cæna apposita, succensuit, & ad se vocatum servum, qui ei rei præfectus erat obiurgavit: cumq; is diceret, se non existimasse opus fore sumptuosa cæna, cum nemo esset jubitatus: quid, inquit, hoc rei est, an nesciebas hodie Lucullum cum Lucullo cænaturum. Vide quæ Plutarchus ibi plura narrat.

Exercitationum Ethicarum

OCTAVA

Cujus sectiones tres, quarum prima

DE

MODESTIA

secunda de

MAGNANIMITATE,

tertia de

MANSUETUDINE.

PROPOSITA

In Illustri Rosarum Academia

Præside

M. IACOBO GERHARDI
Colbergâ-Pomerano.

Respondente

CHRISTIANO SCHLIEFFIO
Colbergâ-Pomerano

Habebitur loco horisq; consuetis 20. Januar.

Rostochi
Typis Joachimi Pedani, Acad. Typogr.
ANNO M. DC. XI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729272885/phys_0183
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729272885/phys_0184
DFG

DE MODESTIA.

THESIS I.

MOdestiæ *vox generalis est, notans elegantem morum compositionem adeoq; nihil aliud est quam virtus. Nam à nomine* modus *est* modestia: *modus autem à medio, quòd ἐν τῷ μέσῳ. Hinc canit Poeta:*

Est modus in rebus sunt certi deniq; fines
Quos ultra citraq; nequit consistere rectum.

Nos autem hoc loco modestiam specialiter sumimus pro virtute illa quæ moderatur appetitum honorum.

2. Definitur *Virtus servans mediocritatem in modicis sive mediocribus honoribus appetendis vel respuendis.* Objectum *est* honor debitus mediocris *quem modestus appetit, eo modo prout decet. Honor enim est præmium virtutis inquit* Arist. 4. Ethic. 7. *Cum itaq; quis honoribus mediocribus possit esse dignus, & judicare etiam se dignum, & moderatè illos appetere quis non videt dari virtutem quæ versatur circa honorem medioxumum?*

3. *In ipso itaq; limine hujus tractationis enucleanda quæstio illa:* an ad honores aspirandum, & annon pugnet hoc cum modestiâ? *Nam duplex est honor,* Politicus & Scholasticus; Politicus *iterum duplex est vel* togatus *vel* bellicus. Togatum *honorem voco, qui tempore pacis dignis distribuitur, ut quando ad* magistratum *quis evehitur.* Bellicum *appello, quem sibi quis parit in prælio virtute suâ, quemad-*

modum hoc modo qui tempore belli fortitudine prudentiâ ac consilijs plurimum profuerunt, alijs qui hoc ipsum non præstiterunt præferuntur, & ad officia sublimiora elevantur. Vide de honore militari Bodinum lib. 5 de Repub. cap. 4. Scholasticus *honor est qui in Universitatibus confertur ijs, qui alios doctrina & eruditione antevertunt ac propterea honore digni sunt, quales honoratiores tituli sunt, Magistrorũ, Doctorum &c.*

4. *Uterq; honos est fudes in oculis* Anabaptistarum, *qui non modo τῷ λόγῳ & chartis (vide hac de re disputationem nostram quintam thes. 13.) sed τῷ ἔργῳ & lacertis contra Magistratum furorem illum suum propugarunt, prout satis superq; testantur tragœdiæ in Germania Anno æræ Christianæ 1525. & 1535. à plebe rusticâ excitatæ.* Sleidan. lib 5. & 10. *Scholasticũ quoq; honorem ex malitiâ compositis ad despectum dicterijs vilitant ac reijciũt; unde inter illos doctores invenias, sartores, sutores, aliosq; homines diobolares. Anabaptistis se adsociant* Carolstadius, Zwinglius, Gualterus, *quorum verba citat* D. Eckardus in Fasciculo controv. Theolog. cap ultim.

5. *Videtur quoq; tutius ac consultius honorem fugere, quam appetere siquidem mala secum trahit ut Cacias nubes. Inflant enim honores ac filiam habent superbiam, unde natum proverbium dicamne an veriverbium* honores mutant mores, *quâ de re videatur* Richterus axiom. polit. axiom. 390. *Adde quod individuum comitem habeat invidiam, siquidem, ut Poeta canit:*

Summa petit livor perflant altissima venti.

Unde quidam interrogatus quomodo invidos nullos haberet, respondit: Si nihil ex magnis rebus habueris, *aut nihil feliciter gesseris, nam* sola miseria caret invidia, Valer. Max. lib. 4. *Non igitur aliter fieri potest, quin honor, & illi qui in emi-*

in eminenti honorum gradu constituti, multorum invidiam incurrant, cum honor omnium bonorũ externorum sit maximum.

6. Minus tuta igitur dignitatum hujus seculi possessio, infidæ honorum sponsiones, & exitus sanguine utplurimum nobilitantur. Plærumq; enim excelsis prærupta adiacent. Hinc facilis ex alto lapsus certior in plano statio. Quam rari inconcussum infractumq; sepulchro intulerunt honorem? Volve & evolve Historicorum monumenta, & fateberis optime quadrare in eos qui ad honorum anhelant fastigia illud Poetæ:

Unus Titan vidit atq; unus dies
Stantes & cadentes.

Caligula postquam regnasset annos tres & menses decem domestica conjuratione à Præfecto sui exercitus trucidatus est, Galba imperij mense septimo cecidit. Ælius Pertinax mense octavo à Juliano confossus. Julianus eodem octavo mense imperij à Severo occisus. Et ut innumeros alios præteream cogita Belisarium ducem nunquam satis laudatum, quem postquam virtus ad culmina honorum extulerat invidia excæcavit, ut mendicando cibum quærere cogeretur, tandemq; ut calamitosissimus mendicus moreretur. Vide prolixè in hanc sententiam perorantem Carol. Scribanium in Philosopho Christiano cap. 4.

7. Sed leviora tamen sunt prolata quam ut possint ad contemptum ac odium honorum sanâ mente præditum inflammare. Certum enim est honorem non tantum invitamentum sed & incitamentum esse ad Virtutem ad quam non mollis & plana verum aspera & senticosa via ducit, quâ de re videri potest elegans apologus apud Xenophontem lib. 2. memorabilium de Hercule Prodicio, in bivio constituto h. e. dubitante quodnam vitæ sectaretur iter, ad quem accurrerunt binæ mulieres quarum altera Virtus altera Ignavia, & hæc ita

locuta est: video te Hercules addubitantem utram tandem viam ineas vitæ, qui si me amica atq; authore uti tibi persuaseris, egote in viam jucundissimam simul ac facillimam ducam, & oblectabilium quidem rerum omnium impertiam tibi gustum; gravium autem rerum omnium ad extremum faciam te expertem &c. Virtus autem his usa verbis: nequaquam exspectes, ô Hercules ut fucum tibi faciam, sed ut Dij statuerunt ita rerum veritatem simpliciter commemorabo. At eorum quæ bona & honesta sunt, nihil Dij citra laborem & curam hominibus dare solent &c.

8. *Quanquam itaq;* Seneca rectè lib. 4. de benefic. cap. 1. *Inveniuntur qui honesta in mercedem colant quibus q; non placeat virtus gratuita, cum tamen virtus nec lucro invitetur, nec absterreatur damno, adeoq; neminem spe ac pollicitatione corrumpat: Calcatis utilitatibus ad illam eundum est quocunq; vocavit quocunq; misit, sine respectu rei familiaris. Rerum honestarum pretium in ipsis, si quid fortè obvenerit commodi, inter accessiones numerabis, quod honestum per se expetendum. Licet inquam hæc vera sint cum virtutis finis essentialis sit sola honestas non utilitas, tamen cum nullus tam exiguus labos cui non sua sint constituta præmia, cur tam graves quos propter virtutis adeptionem exanclare oportet labores præmijs non essent renumerandi? Adde quod multi quos non movet honestas, honor ad virtutis studium pelliciat ac adigat.*

9. *Neq; pugnat cum modestia appetere honores, sed potius hoc ejus est officium. Nam triplex munus est modestiæ 1. ut qui dignus est honore se quoq; dignum judicet, illumq; prout decet appetat, idq; postulat lex justitiæ quæ jubet suum cuiq; tribuere: Qui itaq; debitum sibi honorem non appetit seipsum damno adficit. Si autem honorem debitum legittime acquirere*

vere non possumus, vult modestia ut illum negligamus II. ut in mediocribus honoribus acquiescat, non se præferat alijs eosve præ se contemnat; hoc enim qui facit non modestus sed ambitiosus est. III. ut honores suos adversus malevolus ac calumniatores, qui melioris existimationis ac famæ purpuram, Memphitico infrenis linguæ odore decolorare ac conspurcare satagunt, masculè tueatur. Concludimus itaq; licitum esse honores appetere, neq; modestiæ repugnare.

10. *Nunc porro inquirendum* quomodo legittimè acquirere honores vir bonus possit; *siquidem multipliciter hic peccari clarius est quam ut probatione egeat. Nos melioris distinctionis gratia, dividimus media per quæ honores comparantur in* legittima *&* illegittima. *Inter legittima numeramus I.* Successionem *quâ ad honores magistratus legittime evehuntur Regum, Principumq; liberi, consanguinei & c. si scilicet imperium sit successivum non electitium, quâ de re prolixius disputant Politici II.* Electionem *in qua considerandi tum* Eligentes *tum* Eligendi. Eligentes *non sunt promiscue omnes, sed pro diversitate locorum & honorum certi quidam, quemadmodum in Germania potestas eligendi Imperatorem competit VII viris. Ita potestas eligendi ac constituendi in civitate Consulem, Senatorem non est popelli & promiscuæ multitudinis, sed ordinis Senatorij.*

11. *In* Eligendis *varia requiruntur. Primum &* principale requisitum est VIRTUS, *qua qui est præditus honore etiam dignus. In electione itaq; ad honores & officia, electores ad hoc fundamentum semper ac principaliter respicere debent, aliàs indigni virtutis præmia capient posthabitis dignioribus, & sic error committetur contra justitiam, quæ vult ut suum cuiq; tribuatur. Sunt tamen adhuc alia etiam* requisita minus principalia *inter quæ numeratur, (1.)* ætas

de qua

de qua movetur quæstio, an juvenes tum ad scholasticos tum etiam politicos honores evehendi? *Respondemus si adsit principale requisitum nempe* Virtus *non esse alicui viam ad honores præcludendam. Cum itaq; multi seniorum tempora præveniant meritis, & quod deest ætati virtutibus compensent* ut inquit Bernhardus, *sive cum multi* juvenes mento *sint qui tamen non sint* juvenes mente, *sed quibus animus senilis, sane injustum foret tales propter ætatem à dignitatibus ac honoribus arcere, sicq; virtutis præmium denegare. Fit tamen haud raro ut magis honoretur mentum hirsutum ac sylvescens quam mens ac prudentia. Accidit hoc legatis binis, quos Veneti ad Fridericum III. Imperatorem Romanum miserunt, quarum ætate juvenili offensus Cæsar, tanquam indignos legationis munere ac honore, in conspectum admittere noluit. Illi itaq; aditu privatim impetrato, dixerunt:* Si barbâ & canis æstimari sapientiam Senatus Venetus sciviſſet, nostro loco duos hircos egregiè barbatos misisset. *Spectat huc etiam illud, cujusdam verissimum effatum:*

Si prolixa facit Sapientem barba quid obstat,
Barbatus posset quin caper esse Plato.

Imo ipso jure civili juvenes ad honores evehuntur ut patet ex l. quidam 57. ff. de re judicatâ, *ubi dicitur sententiam à judice minore 25 annis latam valere, nisi sit minor octo & decem annis. Si autem debet sententia à judice in illa ætate lata valere, sequitur illum in illa ætate posse esse judicem, quod tamen intelligendum* de spontaneo, *si scilicet sponte illum magistratum susceperit, non* de coacto, *siquidem lege Julia cautum ne quis minor 20. annis munus judicandi suscipere cogatur* l. cum lege 41. ff. de recept. qui arbitr. recep. Bronchorst. centur 1. assert. 65.

12. (2.) *minus principale requisitum est* patria, *de qua etiam*

etiam quæritur, an peregrini in benè constituta Repub. ad honores evehendi? *Si quæstio intelligatur* de honore summi magistratus *videtur neganda, cum si peregrino Imperij sceptra committuntur, multa inde mala oriantur, quæ omnia recensere jam supersedemus: potest avidus lector adire* Bodinum lib. 6. c. 5. Richter. axiom. pol. axiom. 249. & 250. Keckerman. system. Polit. lib. 1. cap. 2. & Discurs. Philosoph. disp. 29. quæst. 8. *Hanc tamen limitationem adhibendam cum Keckermanno putamus, nisi speciales alicujus Reip. conditiones, & necessitates faciant, ut præstet habere principem peregrinum quam indigenam, e. g. si regni alicujus proceres æqualitate libertatis gaudent, peregrini imperium ferre malunt quam æqualis, quod fit in Regno Poloniæ. Si autem controversia* de honore magistratuum inferiorum, *& aliorũ munerum tam ecclesiasticorum quam scholasticorum, videtur adfirmanda. Cum enim in peregrinis requisitum principale virtus adfuerit, propter quam honore digni, non debent propter requisitum minus principale ab illo prohiberi, hac tamen adhibitâ cautelâ, quod si fuerint* indigenæ, *peregrinis virtute, prudentiaq; æquales* illi sint præferendi *his in electione, cum plura requisita in illis concurrant. Nam plura bona sunt paucioribus anteferenda, & plura fundamenta ac requisita in quæstionibus comparatis pro illa parte firmius concludunt. Patriæ enim naturali cognatione & singularis affectus vinculo se obstrictum nemo inficiari potest:*

Nescio quâ natale solum dulcedine cunctos.
Ducit & immemores non sinit esse sui

cum admiratione ait Poeta. Chari propinqui, chari parentes, sed omnes omnium charitates, una complexa est Patria, quæ charior nobismet ipsis esse debet, inquit Cicero 3. Offic. *Unde illi terræ, in qua orti, in quam primum excepti, ubi primum hausimus cœlum & cum eo ejus loci amoren*

tantum est attributum, ut & parentis sanctissimum nomen nobiscum haberet commune, quo patria *diceretur*, Scaliger. in parenetatione filiolo dicta. *Sed quia hæ quæstiones magis spectant ad Politicam de illis suo tempore fortassis prolixius agemus.*

13. *Illicita acquirendi honorem media sunt* Vis & Fraus. Vi *dominium invadunt & honores magistratus sibi decernunt* Tyranni sine titulo, *ut vocant Politici, quod sine omni jure & justo titulo regnum manifesta vi occupent: Unde tales pro manifestis hostibus habendi, & tanquam aperti hostes tractandi sunt, adeoq; licet vim vi repellere armaq; contra tales sumere.* Fraude *ad honores conscendunt, qui* favore & pecuniâ *eò evehuntur, quæ duo quantum hodie valeant notorium est. Olim dicebatur:*

Virtute ambire oportet non favitoribus.

Plaut. in Amphitr. prolog. *hodie videas illud inversum, & jam dici:* Favitoribus ambire oportet non virtute. *Hinc fit, ut illi qui favitoribus carent auro argentoq; eos sibi comparent, honoresq; fiant venales. Nam accipiunt Itali pecuniam & remittunt asinum in Germaniam.*

14. *Quid de tali honorum acquisitione statuendum videamus. I. Certum est honores esse præmium VIRTUTIS non favoris, non divitiarum. Hinc* M. Marcellus, *is qui victorias quadraginta novem de hostibus reportavit, cum templum VIRTUTI ac HONORI dicaret, illud pariete medio sic divisit, ut nemini pateret ad templum Honoris adytus, nisi prius patefactâ virtutis portâ,* Bodinus de Rep. lib. 5. c. 4. *Detestanda itaq; turpis illa honorum mercatura,* quæ cum justitia distributiva è diametro pugnat, *quod notare debent illi qui honores in alios conferunt. II. Qui vero hac viâ sibi illos acquirunt,* in modestiam peccant, *quæ permittit quidem appetere honores, sed propter virtutem non pecuniam. Mo-*

destus

deſtus appetit honorem debitum: *debetur autem illi propter virtutem non propter divitias, alias ditiſſimi eſſent maximo honore digni, & ad illum protrahendi, cum tamen aliter olim factum inveniamus. Quid enim Lucius Quintius Cincinnatus in bonis habuit? Et tamen ab aratro ad Conſulatum vocatus, cum novale ad ſementem ſubigeret,* & ſcindentes arvum buculos inſequeretur. *Iccirco cum videret catervam hominum rus ſuum petere,* inhibito aratro *aliquantiſper dubitavit quinam eſſent, quidve ſibi adventus ipſorum poſceret; deinde à viatore præcurrente monitus ut ſe ornaret melius, ſumptâ intra tugurium veſte* prodijt obviam venientibus; *cumq; omnes* uno ore, *non nomine ſuo, ſed conſulem ſalutarent, obticuit ille paulliſper ac demum effuſis lacrymis:* Ergo, *dixit,* hoc annno agellus mihi non feretur, & de victu periclitabimur, Dionyſ. Halicarnaſs. lib. 10. antiquit. Rom. c. 20. *Idem Cincinnatus, cum tractaret opus quoddam ruſticum ad Dictaturam vocabatur, quod cum videret, dixit:* peribit ergo & hujus anni fructus propter meas occupationes, & male eſuriemus omnes, Halicarnaſs. libro citat. cap. 26.

15. *III. Honor favore ac pecuniâ comparatus poſſeſſori parum prodeſt, imo illi in contumeliam ac ignominiam vergit, ac de hujusmodi honorum collatione, totæ plateæ, totæ civitates regionesq; rumore ſiniſtro replentur, ipſiq; deſpectui habentur, ut teſtatur experientia. Non minus falluntur qui putant magiſtratus, quos pretio mercati ſunt honori ſibi futuros, quam ſi aureis alis quas Euripedes opinione ſibi finxit, volare ſe poſſe putent; cum ex ea materia quâ nihil gravius eſſe poteſt, id quod leviſſimum eſſe oportuit, conflaverint, veriſſime inquit* Bodinus l. c. *IV. cum indignis honores tribuuntur propter favorem nummosve, ipſi honores apud popellum aliosq; malè audiunt, & gloria jacet ac ſordeſcit. Itane hominum vitio honorem qui ſecundum* Ariſtotelem 4. Eth. 7.

omnium bonorum externorum maximum vilescere ac tantum non calcari? Adde V. innumera mala quæ ex tali honorum mercatura in Rempublicam ubertim dimanant. Etenim pessimis quibusq; dummodo divitijs affluant, hac viâ patet aditus ad dignitates. Ab hujusmodi vero quid boni sperare possumus? Non itaq; miremur, quod Rex Neapolitanus effusissimè fleverit, cum Alexander VI, vero suo nomine Rodericus Borgia dictus, Pontificatum adeptus esset, cui tamen acerbissimus dolor ob mortem suorum carissimorum liberorum ei creatus, lacrymas oculis ipsius exprimere non potuerit, siquidem Alexander non modo fraude, largitionibus scilicet corrumpendo Electores, honorem comparaverat, sed etiam erat homo pessimus in quem omnia vitia corrivatis undiq; torrentibus confluxisse dicas, nullus in eo erat candor, pudor nullus, nulla fides, pietas, timor Dei &c. *quod testimonium ei perhibet* Guicciardinus lib. 8. *Hinc Rex Neapolitanus Reginæ suæ dixisse fertur; talem hominem esse electum Pontificem, qui non modo Italiæ, sed universo Christiano orbi sit pernicioſissimus futurus*, Guicciard. l. c. vide etiam Jovium lib. 1. *utrumq; Pontificium*.

16. *Vidimus hactenus, quod non statim dicendus ambitiosus qui honorem appetit, cum possit quis illum rectè appetere, nempe non magis nec minus quam oportet, & propter quod licet nempe virtutem. Huic vero appetitui certi sunt limites præscripti ut non sit nimium ardens, siquidem qui honorem nimium sitiunt, videntur illum appetere non ut signum virtutis sed perse ac primo sui gratia, & licet benè agant, tamen non ex amore virtutis, sed propter aliam causam virtute indigniorem, nempe honorem ita agunt, fortean etiam male acturi, si aliquod incrementum honoris inde sperare non possent. At vir bonus principaliter bene agit quia honestum, & gloriæ alicujus*

ejus sphem primario non attendit. Peccari itaq; circa honorem mediocrem dupliciter potest, in excessu & defectu; unde duo vitia modestiæ opposita: in excessu Ambitio, *in defectu* Αφιλοτιμία nimia animi dejectio & contemtus honorum. Ambitio *est cum quis appetit illos honores qui non debentur ei, vel si dignos appetit nimis ardenter, præter rectam rationem, & per media illigetima. Modestus enim oblatos etiam honores, si indignum illis se sentit constanter respuit, & quando debitos legittimè acquirere non licet, de ijs comparandis non est magnoperè sollicitus.* Αφιλοτιμία *est cum debitos honores plane negligimus, imo & oblatos respuimus ac fugimus, laborum gravitatem aliaq; ejus generis cum honore conjuncta prætendentes.*

SECTIO II.

DE MAGNANIMITATE.

1. *Cognata cum Modestia virtus est* Magnanimitas, *utpote quæ circa idem specie objectum honorem nempe, gradu tantum distinctum versatur: modestia enim circa mediocres, magnanimitas circa magnos honores occupatur, unde sequitur quod specie non differant, sed gradu solummodo, quod declarat* Aristoteles 4. Ethic. 7. *exemplo pulchritudinis quæ eadem est in corporibus proceris & brevibus parvisq;, licet in illis sit spectabilior, unde & parvi elegantes & concinni, non autem pulchri dicuntur ait Arist.*

2. *Definitur itaq;* Magnanimitas *virtus mediocritatem servans in appetendis & fugiendis magnis honoribus dignis. Esse sanè, inquit* Arist. l. c. *magnanimus videtur, qui cum magnis sit dignus, magnis quoq; se dignum existimat. Est igitur magnanimus magnitudine extremus, in eo vero quod oportet medius.*

3. *Quæritur hic* an vir malus possit esse magnanimus?

mus? *Negamus cum* Arist. l. c. *siquidem magnanimus est qui maximis dignus. Ergo & optimus sit necesse est: majori enim honore dignus est qui est melior; maximis vero qui est optimus. Oportet igitur ut qui magnanimus vir bonus sit, & possideat quod in unaquaq; virtute magnum h. e. sit magnis virtutibus excellenter præditus. Modestia, quia versatur tantum circa mediocres honores, ideo etiam virtutes minus excellentes præsupponit, ob quas quis dignus est mediocri honore: at Magnanimitas quia occupatur circa honorem magnum, magnas, excellentes & perfectas virtutes prærequirit. Jam vero malus ne dignus quidem est honore, nedum magno honore. Ergo. Hinc Aristoteli magnanimitas dicitur quasi ornamentum quoddam esse virtutum, tum quod majores ipsas reddat, tum quod sine ipsis esse non possit.*

4. *Resultant hinc aliquot* proprietates *quas* Aristoteles l. c. *accuratissime pertractat, & quia ad cognoscendam magnanimitatis naturam multum faciunt placet illas enumerare. I. Proprietas est quod sit* difficilis virtus. *Præsupponit enim non unicam virtutem sed vel omnes vel maximam partem, easq; non in infimo sed supremo gradu. Quid vero difficilius quam non dicam omnibus virtutibus præditum esse, sed excellere? Excellentes virtutes requirunt præstantem indolem magnumq; animum & magnos spiritus, quæ omnia non sunt cunctis concessa.*

5. *II. Magnanimus non* est nimis cupidus honorum, *easq; non appetit nimis avidè & anxiè, quâ in re peccavit* Cæsar *qui Pontificatum tam cupidè, non sine profusissima largitione petijt, ut cum mane ad comitia descenderet, matri osculanti prædiceret,* domum se nisi Pontificem non reversurum, Suetonius in Cæsar: *vel ut* Plutarchus *refert, dixit:* Hodie mater filium tuum aut Pontificem Maximum aut exulem

exulem videbis. *Idem Cæsar cum Alpes jam transisset & per oppidulum quoddam barbaricum iter faceret, paucis & miseris habitatum hominibus; amicis per jocum ex ipso quærentibus, an & hic de magistratibus essent contentiones, ac de principatu certamina, & potentium æmulationes, serio respondisse fertur;* Malle se hic primum quam Romæ secundum esse. Plutarchus in Cæsare. *Simili modo peccavit,* Pompejus *qui adeò honorum cupidus ut non potuerit ferre parem, sicut* Lucanus *de eo scribit:*

Non fert Pompejusve parem Cæsarve priorem.

6. *III. Magnanimus prout non expetit omnes honores sed magnos solummodo (in eo enim differt à modesto) ita quoq;* non expetit illos à quibuslibet. *Ideoq; si à probis viris & claris ei exhibentur, mediocriter quidem lætatur, utpote sibi accommodatos, vel etiam minores quam ipsi conveniunt:* integræ enim & absolutæ virtuti nullus honor tribui dignus potest. *Admittet itaq; magnanimus eos à probis viris licet inferiores sint, propterea quod illi non habeant majores quibus afficere ipsum valeant. Qui vero à quibuslibet è vulgo & è macello hominibus & ob parvas res exhibentur, eos prorsus contemnet,* Aristoteles l. c. *Peccavit contra hanc legem* Demosthenes *quem suavi pruritu titillavit cum anus digitis illum monstrasset & sibilum edidisset, &c.*

7. *IV. Magnanimus* calumnias malevolorum *quibus thesaurus in lingua,* magno animo spernit, *quippe quæ circa ipsum jure non accidunt; ideoq; non patitur sibi in virtutis cursu obtrectationes remoram injicere. Egregium exemplum habemus in Socrate in quem cum Aristophanes edita fabula omnis generis convicia jaciebat, ijsq; in scena recitatis, amicorum quidam dicebat, non ista molestè fers Socrates?* Nequaquam vero, *inquit,* nam in theatro, velut in magno convivio, verbis vexor, Plutarch. de pueror. institut.

S. V. Ma-

8. *V. Magnanimus* in omni fortunâ *tam prosperâ quam adversâ quomodocunq; contigerit*, moderatè se gerit, *uti neq; in prosperis successibus nimiâ lætitia gestit, neq; in adversis rebus tristitia supra modum obruitur. Est quadratus quem neutra fortuna loco suo dimovere potest, in periculis inperterritus, cupiditatibus intactus, in secundis non elatus, in tempestate æquè ac in maliciâ placidus semperq; sui similis. Et quomodo magnanimum sede sua deturbaret vel benigna vel sæva fortuna, cum ei nihil magnum sit præter virtutem. Imo nec circa honorem ipsum ita se gerit quasi maxima res sit. At fortunæ bona ut sunt divitiæ &c. ob honorem sunt expetenda, quod inde patet, quia qui illa habent, ob ea honore affici volunt. Cui vero honor ipse parvus est, ei cætera quoq; sunt parva inquit Aristoteles loco citato.*

9. *Quæritur* annon *igitur* magnanimus doleat cum novercantis fortunæ tela cogitur experiri? *Resp. Homo est magnanimus non lapis, ideoq; sentit dolorem ex adversis, verum non prodit dolorem vultu aut gestibus, aut si prodit non facit hoc publicè spectantibus alijs sed privatim. Fletus enim & alij gestus tristiores, molles ac muliebres animos potius decent quam magnos ac generosos. Talis fuit* Rex Neapolitanus *de quo superiùs th. 15. ex* Guicciardino *retulimus quod nunquam propter obitum etiam liberorum flere solitus.*

10. *Quid ergo dicendum de illis* qui in fortunæ prosperitate constituti, annon magnanimi? *Respondet Aristoteles distinguendo inter fortunæ prosperitatem* solitariam & cum virtute conjunctam. *Si conjuncta est cum virtute conferre illam ad magnanimitatem. Qui enim divites & nobiles, honore digni habentur, quia in* excellentiâ *quadam sunt: omne autem quod in bono aliquo excellit est honorabilius. Ergo hujusmodi res magis reddere magnanimos homines consueverunt. Licet enim solus bonus honorandus, tamen cui*

utraq;

utraq; insunt, is magis habetur dignus, qui honore afficiatur. Qui vero sine virtute hujusmodi bona possident, neq; merito magnis honoribus dignos se esse arbitrantur, neq; rectè magnanimi dicuntur; quippe cum hæc absq; integrâ & absolutâ virtute esse non possint. Adde quod non facilè fiat ut sine virtute consonè ac moderatè prosperos rerum successus quispiam ferat. Dum igitur hi fortunam prosperam ferre nequeunt, putant se alios excellere sicq; omnes alios despiciunt.

11. *VI.* Magnanimus non temerè se committit periculis, *in quibus virtutis splendor non magnopere conspici potest, & ex quibus nihil gloriæ reportare potest, quando autem necessitate cogente, pericula maxima adit, vitæ suæ non parcit, sed mavult potius gloriosè vitam amittere, quam pericula turpiter declinando vivere, ideoq; Aristoteles* cap. 7. lib. 4. *ait eum nullo modo fugere. Non observavit hoc præceptum Demosthenes in pugnâ Cheroneâ, in quâ nullo honesto aut verbis suis consentiente facinore edito, turpissimè deserto ordine, & projectis armis fugit,* Plutarchus in Demosthen.

12. *VII.* Beneficijs alios promptè largeq; afficit, ipse vero affici erubescit, *ideoq; in accipiendo tardus ac verecundus: quia illud (prius) est excellentis, hoc posterius autem ejus qui excellitur. Neq; etiam est petax ita ut à nemine quippiam, aut vix tandem petat, tunc videlicet tantum quando summa ad petendum cogit eum necessitas, quæ durum telum. Nec est querulus apud quenquam, sive egeat re aliquâ sive non, sed potius nervos intendit ut sit* αὐτάρκης *h. e. seipso & suâ virtute contentus. Si vero beneficijs affectus, plura retribuit: ita enim fit, ut qui prior beneficium contulit, insuper debeat, beneficiumq; accepisse videatur. Meminisse porro eorum solet quibus ipse benefecit; at eorum à quibus accepit minimè. Ratio est, quia is qui beneficium accipit est minor eo qui beneficium contulit. At magnificus vult esse superior. Ideo fit ut beneficia quæ dedit jucundè, quæ autem accepit injucunde audire soleat. Hoc vero non facit quasi ingratus, sed quod statim accepta beneficia largius recompenset.*

13. *VIII.* Apud homines qui in dignitate collocati, & præclarâ fortuna utuntur gravem & magnum se præstat; apud mediocres vero mediocrem & modestum, *eò quod illos superare sit difficile ac egregium, hos vero facile & non tantâ laude dignum; & inter illos gloriari est à generoso animo minimè alienum, inter humiles vero invidiosum: utpote qui putant se contemni qui nihil tale effecerunt de quo ipsi quoq; gloriari possint. Quanquam tamen loca honorata aut ubi alij primas tenent, non ita sæpe neq; libenter frequentet, ne vel honorem affectare ibi videatur, vel alijs se submittere cogatur, & dignum suæq; virtuti convenientem locum non adipiscatur.*

14. *IX. In rebus gerendis ita se gerit:* si non magnus honor magnumq; opus adsit, quiescit: si vero illa præstò sint in suscipiendis actionibus est cunctator, *omnia deliberato consilio agit, in perficiendis usurpat illud, festina lente, ne nimia præcipitantia omnia minus dextrè peragantur, & infælicem minusq; votivum sortiantur exitum. Quin & motus ac incessus magnanimi tardus, vox gravis, & loquutio stabilis animi constantiam indicans.*

15. *X. Magnanimus* majorem curam habet veritatis *quam opinionis, ideoq; liberior est in loquendo, & dicit agitq; omnia aperte, quia malevolorum odia ac morsus alto animo contemnit. Imo tam* odium quam amorem aperte præ se fert, *cum non sit timidus: latere autem timentis est, qui metuit aliorum offensiones.* Neq; *etiam* est adulator, *nec potest vivere ad alterius arbitrium: hoc enim est servile & ingenuo liberoq; homine indignum: unde omnes adulatores famularij sunt, & humiles homines tantum adulatores.* Admirator quoq; non est, *qui scilicet aliorum dicta factaq; suspiciat, siquidem ignorantia admirationem parit. Ad magnanimus quia absq; integra & universa virtute esse nequit, facta aliorum utut præclara ac virtuosa non potest ignorare. Ergo illa tanquam nova, quod rudem popellum facere videmus, non mirabitur.*

tur. Nec est memor injuriarum, quia ut supra dictum illas spernit, & malos indignos judicat quam ut illorum meminisse velit. Ideo fit ut etiam non sit maledicus, ne in inimicos quidem, nisi ob contumeliam sit. Decet enim magnanimum honestam suam famam ac gloriam tueri.

16. Oppositum *magnanimitatis* in excessu *est* superbia, in defectu Pusillanimitas. *Superbia est vitium quo nos majoribus honoribus dignos judicamus quam revera sumus, illosq; appetimus. Oritur hoc vitium ex* præsumptione, *cum scilicet quis imaginatur sibi inesse illam eruditionem illasq; virtutes quæ revera non insunt, aut longè majores quam insunt, adeoq; putat se insigni affici injuriâ, si non satis superq; ab alijs honoretur. Effecta superbiæ sunt* ostentatio *grandis (rectiùs vegrandis) virtutis, quæ fit verbis, vestitu, incessuq; ridiculo. Ideoq; Aristoteles vere ait quod* omnis superbus stultus & seipsum ignoret. *Imitatur enim tanquam simia in rebus externis magnanimum, velut in incessu ac voce graviori, nec non parrhysiâ, quemadmodum* Ille Favonius, *ineptus Catonis imitator, in conclave in quo Cassius & Brutus erant irrumpens, recitavit versum (satis imperiosè) quo Nestorem usum Homerus finxit:* Vos mihi nunc ambo natu parete minores. *Ideoq; risum hoc Cassio movit: Bruto vero bilẽ in nares concitavit, ut Favonium cubiculo expelleret, Plutarch.* in Bruto.

17. *Peccat itaq; superbus in se ipsum, dum ridiculis gestibus vel rigidis ac severis Catonibus (quorum Major semel tantum risisse dicitur, & tunc quidem cum cerneret asinum cardnos vorare; unde proverbium: similes habent labra lactucas) cachinnum extorquet, sicq; seipsum eludendum ac deridendum exponit. Duplex autem est superbia; altera conjuncta est cum civilitate quadam gestuum, diciturque* Hoffstoltz; *altera conjuncta est cum incivilitate morum ac gestuum, & vocatur superbia rustica* Bawrstoltz/ Grobstoltz/ *& hæc est omnium pessima.*

18. Pusillanimitas *est qua quis, cum bonis & honore di-*

gnus sit, seipsum ijs privat quibus dignus est, ex nimia animi dejectione. Quæritur autem, utrum vitium magis pugnet cum magnanimitate? Resp. Aristoteles 4. Eth. 9. pusillanimitatem magis ei esse oppositam. Et res est in aprico quia superbiæ actio etiam est appetere honores quamvis non recto modo. At pusillanimitas est vitium quo dignos honores non appetimus: ideoq; pusillanimis peccat in Deum, quia virtutes tanquam Dei dona non agnoscit grato animo; peccat in virtutem quam debito suo præmio privat, peccat in se ipsum, malam de se excitans opinionem, quasi sit conscius sibi alicujus sceleris, ob quod se honoribus indignum judicet.

SECTIO III.

DE MANSUETUDINE.

1. De Mansuetudine recte agitur post modestiam & magnanimitatem cum nihil sit quod magis ad iram concitare possit quam læsio honoris qui inter bona externa principatum obtinet. Unde etiam Arist. 2. Rhetor. c. 2. iram oriri ait ex contumelia.

2. Mansuetudo itaq; est virtus servans mediocritatem circa iram. Objectum hujus virtutis prout etiam reliquarum est duplex internum quod in ipso est homine & externum quod circa hominem. Internum est Ira in qua cohercenda & moderanda occupatur mansuetudo. Externum sunt offensiones, injuriæ, damna, convitia, contemtus nostri & nostrorum, breviter quæcunq; iram in nobis excitare possunt.

3. Hic statim in principio quæritur an omnis ira mala; & an virum bonum non liceat irasci? Ita visum Stoicis, qui omnes affectus vitiosos & excaudicandos clamitant. Videquæ hac de re habet Seneca in libris de ira. Nos vero cum Aristotele 4. Ethic. 11. iram per se non esse malam neq; in viro bono vituperandam sed laudandam statuimus. (1.) qui planè non irascitur, etiam tunc cum justæ ac sufficientes causæ adsunt, videtur esse stolidus ac non sentire, neq; suam suorumq; existi-

existimationem magni facere (2.) tolerare si lacessaris patiq; ut tui contumelia afficiantur, servile profectò est, & illius qui animo abjecto ac servili præditus est. (3.) quædam mala talia ac tanta sunt, ut vir bonus non possit non irasci propter illa, qualia sunt manifesta impietas, & flagitia. Quid enim? annon irascar furi, homicidæ, latroni? Adde (4.) exempla sanctissimorum virorum qui justa ira exarserunt, ut Jacobi Gen. 30. v. 2. Mosis Exod. 11. v. 8. cap. 16. v. 20. cap. 32. v. 19. Numer. 16. v. 19. cap. 31. v. 14. Saulis 1. Sam. 11. v. 6. Eliæ 1. Reg. 19. v. 14. Elisæi 2. Reg. 13. v. 19.

4. Posset aliquis objicere iratos esse absq; ratione & furiosis similes prout disp. 2. thes. 23. probavimus, & propterea virum bonum non debere iræ fibulam laxare, quia non decet eum absq; ratione quicquam agere. Verum ad hoc in promptu est responsio, nimirum dupliciter iram se ad rationem habere, vel antecedenter prout rationem antevertit ut cum aliquis non deliberatò alicui irascitur, sed impetu ad iram temere ruit, vel consequenter cum ratio justas & sufficientes iræ causas adesse cernens, imperat appetitui sensitivo, ut flagitijs ac sceleribus irascatur: priori modo, quia rationem non audit, viro bono non convenit; posteriori modo quia rationi obtemperat quidni caderet in virum bonum. Curandum itaq; summoperè est, ne ira quæ ut instrumentum virtutis assumitur, menti dominetur, ne quasi domina præeat, sed quasi ancilla ad obsequium parata à rationis tergo nunquam recedat, monente Gregorio 5. Moral.

5. Postquam constat licere irasci, videndum quomodo medium servandum, siquidem ira licet per se non sit mala potest tamen fieri mala secundum quantitatem h. e. excessum vel defectum; quod medium præscribit mansuetudo. Aristoteles aliquot enumerat requisita quibus medium in ira determinat, si scilicet irascamur 1. quibus oportet, 2. ob quæ oportet. 3. quando. 4. quousq;

6. Quod ad primum requisitum, non irascendum

I. rebus inanimatis, *quod fecit Xerxes qui jussit Hellespontum verberare* Herodot. lib. 7. *Pheron rex Ægyptiorum, qui speculum in medios fluminis voragines contorsit,* Herodot. lib. 2. *Hoc enim non videtur esse viri prudentis sed hominis haut sanâ mente præditi. II. non* brutis *animantibus utpote quæ animo injuriandi destituuntur, unde & lædere quidem possunt, non autem injuria proprie dictâ afficere,* Picolh. grad. 2. c. 21. *III. Non omnibus hominibus non superioribus, hoc enim si faciunt impotentes, & ingentem spirant ex naribus ignem, ridiculi sunt, cum vana sit sine viribus ira. Deinde in specie non* (1.) magistratui *etiamsi aliquem lædit, sed potius inlata injuria patientia sopienda est. Multo minus itaq; adprobanda Papanorũ sanguinaria conclusio, quâ dicunt, Hæretico non esse servandam fidem, neq; tolerandum magistratum qui non sit Pontificiæ religioni addictus, ut contendit Loiolitarum Goliathus* Bellarminus lib. 5. de Rom. Pontif. c. 7. *Hinc* Johannes Mariana lib. 1. de Rege cap. 7, *Quid interest, inquit, ferro an veneno perimas: Minus quoq; veritati & sacris literis consentanea illorum Politicorum opinio, qui statuunt contra malum magistratum sive* tyrannum exercitio *arma sumere licitum. Præstat enim damnum privatum patienter ferre quam ad publicum ansam dare, & accendere seditionem totam Remp. decinerantem.* (2.) non parentibus *irascendum. Licet enim nos læserint tamen potius cogitare debemus quoties à nobis in infantia & pueritia læsi & afflicti sint.* (3.) non verbi divini ministris *neq; præceptoribus, si vitia taxarint &c.*

7. *Contrà superiores, ut Magistratus, Parentes, Verbi divini ministros, Præceptores &c. licet irasci inferioribus, si observetur duplex cautela 1. ne irascantur primo personæ, deinde vitio aut malefacto, sed è contrario πρώτως malefacto, δευτέρως personæ. Nam licet in Metaphysica omnis actio bona, cum ibi consideretur in se ipsa quatenus abstracta & distincta ab accidentibus (Metaphysicus enim accuratissime & diligentissime distinguit, vitium, ἀκρίαν & peccatum ab ipsa actione) tamen*

in-

in Ethica hæc distinctio, inter hominem ipsum & ejus accidentia, & inter actiones earumq; qualitates non attenditur, sed hic viri alij sunt boni alij mali, actionesq; aliæ bonæ aliæ malæ. Si ita quidam furem aut seditiosum vellet defendere, ac dicere irascẽdum quidẽ furto ac seditioni, illaq; gravissimè punienda esse, ipsos vero homines tanquam per se bonas Dei creaturas impune dimittendos, absurdissimus foret. 2. non tam efferveſcat ira Physica quam Ethica, quæ est voluntas juxta leges puniendi, peccata, sæpius vacans omni humorum aut corporis commotione, non raro etiam misericordiæ conjuncta, Hunnius disp. 7. Imo & æquales æqualibus irasci licet, ob manifesta flagitia, ob injuriam illatam, ob contumeliam &c.

8. Deinde inquirendum ob quæ irascendum. Non ob quaslibet causas sed 1. graves ut sunt manifesta flagitia cum Decalogo pugnantia, veluti idololatria, contemptus verbi divini &c. item ob injurias atroces cùm verbales tùm reales quibus vel ipse, vel parẽtes, uxor, liberi, cognati amici, aut quicunq; alius nostræ custodiæ commendatus læditur. Removemus itaq; lapsus leviores, per imprudentiam, & judicij infirmitatem commissos, & quibus vel exiguum vel nullum nobis infertur damnum, ut siquis objicit insciticiam, ignobilitatem, paupertatem, non statim irascendum, sed tanquam tela per inane jactata, illa omnia spernenda. Porro etiam non irascendum propter communes hominum nævos, veluti sunt morositas &c. non propter amicam admonitionem & reprehensionem, & similia hujusmodi. 2. ob certas & probe cognitas, non ob falsum rumorem de alio sparsum: qui enim facile credit, facile decipitur.

9. Videndum porro quando irascendum. Non tunc quando recreationis & lætitiæ gratia in convivijs congregati sumus ubi non sunt concitandæ turbæ, caput quassandum, dentes attritu acuendæ, mensæ evertendæ, pocula innocentia, & quicquid aliud furor ministrat affligendum. Deinde non licet bilem effundere in serijs consultationibus & pœnis decernendis, cum ira sit consilio inimica, neq; facile mediocritatem observet, qui ira-

tus

zus ad pœnam accedit. Deniq; dissiciendum quousq; iræ frena laxanda. Potest autem hoc intelligi dupliciter, vel intensivè vel durativè. Intensivè non licet eo usq; irasci, licet justæ sint causæ, ut ab ira obruamur, iraq; delicto sit major veluti si maritus uxorem, dominus servum, pater filium, præceptor discipulum indignis modis tractet, ut vel claudus evadat, vel alio notabili defectu & damno afficiatur &c. Talis ira degenerat in crudelitatem, cujus exempla præbent Astiages apponens Harpago proprium filium comedendum; Herod lib. 1. & Justin l. 1. Xerxes qui filiũ quẽ decrepito parens domi secũ relinqui petierat, discerpere & penes viam collocare jussit, Herodot. lib. 1. Theodosius qui propter Præfectum occisum magnum hominum numerum trucidari curavit. Durativè quoq; ira non est minùs extendenda, ne degeneret in odium & iracundiam quæ est habitus vitiosus. Apostolus Ephes. 4. mandat ne patiamur solem occidere super iram.

10. Opponitur Mansuetudini in defectu ἀοργησία sive lentitudo cum ne ibi quidem irascimur & severitate utimur ubi res postulat, quod faciunt fatui nullam rem ægrè ferentes, & serviles, ut antea dictum. Nocent Lenti sibi ipsi dum ferendo veterem injuriam invitant ad novas inferendas. In excessu est Iracundia vitium multiplex & quod totum uni messe nequit, quia quædam ejus species sunt contrariæ; ideoq; si integrum esset hoc malum seipsum perderet ait Aristoteles. Tres autem sunt iracundiæ species, 1. ἀκεχολία sive Excandescentia, cum cito quidem & quacunq; de causa, ob quæ non debemus & quibus non debemus, & magis quam oportet irascimur, sed tamen iram non diu retinemus sed cito deponimus. Competit hæc iracundiæ speciei cholerici & summe bilioſi. 2. πικρότης sive amarulentia, cum tardius quidem irascimur, sed tam diu iram occulte fovemus, donec illam ultio sedaverit. Hujusmodi homines ait Philosophus tum sibi ipsi esse molestissimos, tum ijs qui maxime ipsis sunt amici, propterea quod iram non nisi mora temporis concoquere possint. 3. Βαρυθυμία seu asperitas & crudelitas, estq; iracundia aperta ac pertinax & quæ absq; ultione & pœna sedari nequit.

Exercitationum Ethicarum

NONA

DE

VIRTUTIBUS HOMILITICIS

Sive

COMITATE URBANITATE VERACITATE

PROPOSITA

In Illustri Rosarum Universitate

PRÆSIDE

M. JACOBO GERHARDI

Colbergá-Pomer.

RESPONDENTE

DANIELE WILLICHIO

Bergî-Norvago.

Labebitur horis locoq; consueto 27. Januar.

ROSTOCHI

Typis Joachimi Pedani, Acad. Typog. Anno 1621.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729272885/phys_0207

DFG

DE COMITATE.

THESIS I.

HOminem esse animal politicum & magis sociale quam omnes apes docet Aristoteles 1. Polit. cap. 2. Unde Scaliger de caus. lat. ling. cap. 28. rejectâ vulgatâ notatione quâ homo derivatur ab humo, mavult illum dici ab ὁμῶς, quod unà & simul vivat: quanquam satis clarum, ut hoc obiter addam, priorem illam, hac posteriori Scaligeri derivationi longè meliorem esse, tum quod illa sit desumpta à materia sicq; ab essentiali constituente; hac autem ab accidente proprio tantum sive essentiali consequente: quis vero ignorat τὸ ὁμῶδες anteponi ἐπιὁμώδει? tum quod ὁμῶς sit idem quod æquè, similiter, nonautem simul, sed ὁμοῦ simul sit.

2. In reipsa tamen cum Scaligero sentimus, & hominem præ reliquis animalibus gaudere societate dicimus, ac profitemur cum Philosopho propterea naturam illi sermonem largitam esse: at quid enim sermo si solus viveret? num ut secum loqueretur? Absurdum. Verumtamen negari nequit hominem in conversatione multis modis peccare, nisi virtutum homiliticarum habitibus fuerit instructus. Iccirco licet tota Philosophia practica consideret hominem, ut animal πολιτικὸν sive civile, & sic omnes virtutes Ethicæ actus politicæ conversationis dirigant, prout ita in specie, quomodo in convivijs conversandum præscribit temperantia, quomodo in bello fortitudo &c. tamen dantur in Ethicis quæ eminentiori ratione sibi virtutum homiliticarum titulum arrogant, quod tradant

generalia conversationis *præcepta, & unamquamq; virtutum ad ὁμιλίαν accommodent.*

3. *Tales autem virtutes tres sunt* Comitas, Urbanitas *&* Veracitas, *quæ à se invicem differunt quod hæc posterior circa veritatem, priores duæ circa jucunditatem, & prior quidem circa voluptatem in congressibus, altera circa voluptatem in jocis consistat, ut docet* Arist. 4. Ethic. 14.

4. Comitas *quæ aliàs* Affabilitas, Humanitas, *&c. Latinis dicitur, in lingua Græca nomine caret, ideoq; Aristoteles eam dicit esse maximè similem amicitiæ, siquidem talis est qui hac virtute præditus qualem modestum ac probum amicum esse volumus, cum quo scilicet crebro & jucundè conversamur. Differt vero ab amicitia (1.) quia amicus præbens se facilem & humanum amico, hoc facit ex affectu amoris: comis autem sine affectu hoc facit, & duntaxat quia* talis *est h-e. comis & humanus, sive tali habitu virtutis præditus. Unde (2.) comitas versatur tam circa ignotos quam notos: amicitia vero circa notos duntaxat.*

5. *Definitur* comitas virtus esse, mediocritatem servans in conversationibus talem, quâ neminem offendimus sed quantum fieri potest honestè oblectamus. Objectum *sunt* conversationes *& quæ huc pertinent alloquia, in quibus Comis facilem se præbet, non morosum, quod ille faciebat, qui erat nec visu facilis nec dictu affabilis ulli. Hinc educimus 1.* officium *comis esse facilem adytum & accessum concedere alijs, quod innuit vox affabilitas 2. postquam admissi sunt amicè cum illis conversari & sermones serere, non tauricùm illos intueri, corrugare frontem, verbis tonare ac fulminare.*

6. *Quæritur itaq;* an comis semper oblectare debeat & nunquam reprehendere? *Etsi comis per se & quoad se eligat*

eligat lætificare, & caveat contristare, tamen interdum res postulat amicam admonitionem & reprehensionem. In quibus non honestum, vel damnosum obsequi & assentiri, comis id minimè faciet, sed gravatè se geret, potiusq; esse molestus volet, inquit Aristoteles. Non itaq; pugnabit cum comitate seria admonitio & libera reprehensio in tali casu, sed potius hoc ejus officium taxare facta, dedecus & damnum allatura. Etenim vir bonus est: ergo mala detestari & reprehendere debet. Accedit quod sæpenumerò parvum dolorem magna utilitas & voluptas subsequatur, quando scilicet à vitijs & turpissimis factis retrahuntur per admonitionem & reprehensionem. At comis debet alijs prodesse. Ergo & debet admonere ac reprehendere, adde tamen modestè & placidè *non nimis acriter, &c.*

7. *Quæritur etiam* an literati qui ardua tractant studia serijsq; contemplationibus sunt dediti possint esse comes? *Ad hanc virtutem, ut patet ex antea dictis, requiritur (1.) præbere facilem accessum alijs; (2.) præsenti animo ac hilarî vultu cum illis suaviter communicare. At qui profundis ac subtilibus speculationibus indulgent, illorum animus totus est illis profundissimè immersus & quasi secretus à communione sensuum externorum, ut tales contemplatores haut raro adstantes nec videant nec audiant, adeoq; interrogati nihil respondeant. Ita de* Archimede *viro profundissimi ingenij, & excellenti Mathematico referunt eum in contemplationes adeo intentum fuisse ut in balneo sedens, in corpore suo lineas mathematicas ducere solitus fuerit. Idem Archimedes in balneo inuenit modũ deprehendendi furtum ab aurifabro commissum, ideoq; præ lætitiâ quasi extra se raptus nudus in publicam plateam prosilijt atq; altâ voce clamavit Ἕυρηκα Ἕυρηκα. Præcipue autem memorabile est, quod cum Marcellus Syracusas*

oppugnaret, ac jam in ipsa urbe esset, hic Archimedes in suo mu-
sæo Mathematicis contemplationibus tam profunde fuerit im-
mersus, ut nihil de patria capta sciverit, nec audiverit hostium
clamores, mulierum ejulatus: imo cum tandem miles ad
ipsum in Musæum irrumperet, ibi Archimedes lineas ducens,
& nondum animadvertens adesse hostem, sed alium putans
qui suo adventu speculationes ejus interrupturus esset, ideo sub-
lato paululum capite ad militem dixit: Tu homo non tur-
bare meos circulos, *sic iterum ad suos circulos mox respi-*
ciens pertinaci oculorum obtutu, à milite trucidatus est. Cum
itaq; inter contemplandum rebus cognoscendis tam arctè unia-
tur intellectus, sæpe fit ut speculatores in vultu sermoneq; aper-
tam lætitiam & humanitatem non ostendere possint, cum ani-
mus alibi sit occupatissimus. Idem accidit ægris quibus omnia
propter exquisitum dolorem quo arietantur sunt molesta, nec
non ijs qui graviter sunt occupati, &c.

8. Quærat porrò aliquis, cur *itaq;* Philosophi qui oc-
cupantur circa speculationes difficillimas, quæ hominem
magis difficilem ac torvum in conversationibus reddere
possunt à comitate sive Humanitate Humanissimi po-
tius quam à scientia scientes aut sapientissimi vocitentur?
An quod Philosophi literis humanioribus quas vocant præ-
cipue dediti? an etiam quod theoretica Philosophia rationem
per quam homo est homo perficiat, sicq; Philosophi quorum intel-
lectus præ reliquis ita est perfectus & ab ignorantiæ rubigine
liberatus, κατ' ἐξοχὴν homines & humani sint? an deniq; quod
Philosophia practica perturbationes & affectus quos non
modo cum bestijs ac feris habemus communes, sed longe vehe-
mentiores, quod comprobari potest illorum exemplis qui per
metum canos unicâ nocte contraxerunt, uti accidit juveni illi
de quo Lemnius lib. 2. de complex. *item illi de quo* Scali-
ger

ger exerc. 312. *Hinrici Gatti de quo* Thuanus lib. 13. *Præfectus Montis-marini mortis metu adeo concussus, ut sanguineũ sudorẽ toto corpore fuderit* Thuan. lib 10. *Quinimo multi lætitia, tristiâ, perierunt de quibus vide* instit. medicin. Fuchsij lib. 2. sect. 6. *Prout itaq; illi qui affectibus frena nimium relaxant infra naturam humanam deprimuntur, ac bestijs ferùsq; evadunt similes, si non pejores; ita contrà qui Philosophiæ practi. cæ habitu affectus moderantur, ut rationis imperio obtemperent, magis homines & humani dicendi.*

9. *Demum quæritur*, an comis cum omnibus eodem modo conversari debeat? *Negat* Arist. cap. 12. lib. 4. *inquiens: diverso modo cum ijs qui in dignitate constituti sunt, & privatis, cum magis item & minus familiaribus, cæterùsq; interse diversi generis hominibus congressiones faciet, singulisq; id quod decet attribuet. Et quid absurdius foret quam nullam habere rationem personarum sed absq; ullo discrimine cum lictoribus, & si quod genus hominum odiosius illis, eodem planè conversari modo ac cum senatore aut consule? Virtus quia est mediocritas non versatur eodem modo circa omnia objecta, sed tribuit singulis pro dignitate quod illis competit. Ergo idem facere debet comitas, neq; vir comis omnibus se eundem præbere.*

10. Opponitur *Comitati* in defectu Morositas, *quæ omnia molestè accipimus & in omnibus adversamur, nullamq; rationem habendam putamus ne molesti simus, nec studemus placere etiam in honestis. Morosi itaq; semper se præbent difficiles, ac verbis moribusq; displicere laborant, nihil illis sapit, ideoq; aliorum facta dictaq; semper sugillant.* In excessu *est* ἀρέσκεια Assentatio, *sive studium placendi & blandiendi alijs, vitium quo omnia in gratiam approbamus & laudamus nullaq; in re adversamur, ideoq; cum hoc vitio plurumq; est*

conjun-

conjuncta levitas animi. Exemplum accurati assentatoris est Chirisophus qui cum cerneret Dionysium Syracusarum Tyrannum cum quibusdam familiaribus ridentem, & ipse ridere cœpit: interrogante autem Dionysio, quæ illi causa risus esset cum ea quæ dicerentur non audiret; Fidem, inquit, vobis adhibeo, quicquid illud sit quod dixeritis esse risu dignum. Ejus filius Dionysius similes circa se habuit assentatores, qui postquam Dionysius ex ebrietate cæcus aut cæco proximus evasisset, patinas & calices inter cœnandum deijciebant, tanquam & ipsi ita cæcutirent, ut nequaquam illa vasa ac ne ipsos quidem cibos cernerent, exspectabantq; dum Dionysius prehensam eorum manum patinæ admoveret. Iidem illi ut sibi in illa sua simulatione constarent, inter eundum alter in alterum sæpe impingebant adeo ut eos ipse Dionysius manu perinde ac cæcos duceret, Henricus Stephani in apologia pro Herodoto, ubi quam plurima alia peritissimorum assentatorum exempla habet.

II. Distinguit Aristoteles assentatores ab adulatoribus, dicitq; illos operam dare ut placeant non commodi gratia, hos autem illud facere utilitatis gratia: sunt tamen satis pernicioſi assentatores dum alijs falsam de se ipsis opinionem induunt. Verissimè itaq; à Carneade dictum, divitum & regum filios solam equitandi artem rectè discere; quod & in ludo literario præceptor laudando, & qui colluctatur sponte succumbendo illis adulatur: at equus cum nec sciat nec curet privatusne an magistratus, dives an pauper sit is quem vehit, cervicem cuilibet equitandi imperito frangit.

DE URBANITATE.

I. Altera virtus homilitica dicitur Urbanitas ab urbe sic dicta, in qua frequentius reperitur, utpote cum ibi homines

non

non solum magis conversationibus, sed etiam jocundis conversationibus studeant quam in pagis in quis quilibet in sua se illa tebrat tuguria, ac cum bobus vaccis q; suis se delectat.

2. Est autem urbanitas virtus mediocritatem servans in conversatione jocunda, sive est mediocritas in lusu & joco. Hic statim de objecto quaritur, an jocis virtus aliqua insit? Affirmat Aristoteles 4. Eth. c 14. duabus de causis (1.) quia in jocis datur excessus & defectus. Ergo & mediocritas. Nititur hæc ratio axiomate illo Logico; contraria habent fieri circa idem, sive contraria sunt circa idem subjectum vel specie, vel genere. At mediocritas prout æquipollet virtuti, & defectus cum excessu prout æquipollent vitio sunt contraria. Ergo si extrema dantur circa jocum, danda quoq; mediocritas. Si autem quis dicat extrema medio opponi relativa oppositione, respondemus & nos hanc præter priorem admittere; & sic vicissim urgemus canonem Logicum, quod relata se mutuo ponant. Ergo positis extremis circa jocum, ponenda etiam mediocritas.

3. (2.) ratio est quia requies & jocus sunt necessaria in vitâ. Nam homo prout est finitæ essentiæ ita etiam finitæ virtutis. Ergo & operationes laboresq; sunt finiti ac virtuti commensurati ac proportionati. Prout itaq; arcus si continuò intendatur tandem frangitur aut sic debilitatur, ut ad actiones prorsus reddatur inutilis: ita quoq; mens hominum si continuis laboribus ac vigilijs fuerit intensus frangitur tandem, & flaccescit, spiritibus nimijs laboribus absumptis exhaustisq; totoq; corpore emedullato. Hinc jam ita ratiocinamur: Quod necessarium ad conservandam civilem conversationem, in eo potest esse virtus. At joci sunt tales. Ergo. Non autem hic intelliguntur joci illiberales, spurci, petulantes in actionibus

ac sermonibus obscœnis consistentes; sed tales cum Apostolo Ephes. 4. v. 29. *Ethica potius devitare ac fugere jubet. Circa jocos itaq; lepidasq; facetias quæ quasi condimentum sunt conversationis duntaxat versatur urbanitas.*

4. *Ut autem mediocritatem servare queamus sequentia bene perpendenda* 1. quis *jocari debeat.* 2. cum quo. 3. quo loco. 4. quo tempore. 5. quo modo. *Quod ad primum attinet, certum est non omnes esse æquè idoneos ad hanc virtutem exercendam, ideoq; multi cũ incipiunt jocari nihil agunt minus, potiusq; crassam & inconditam suam rusticitatem prostituunt, & illâ quos voluptate afficere volebant offendunt. Quando joci naturaliter fluunt, grati sunt, non vero quando sunt affectati & coactè expressi. Qui igitur naturali propensione caret, vel à jocis planè abstineat, vel prius aliorum jocos legat & exercitatione asperam suam naturam emolliat, antequam ad jocandum accedat, aliàs suam rusticitatem alijs deridendam propinabit.*

5. *II. videndum* cum quo *jocandum, nempe cum æquali. Est autem* æqualitas *triplex* (1.) est æqualitas naturæ, ingenij, temperamenti, ac morum, *quæ omnia maximopere attendenda inter jocandum. Sæpe non est tutum jocari cum cholericis & iracundis, quibus bilis facilè commovetur & qui subito*

Procellosas induti Tygridis iras.

minas ingenti murmure bombilant, ac non raro tragœdias excitant. Ita quoq; minus jocundum sanguineum cum melancholico jocari ideoq; hic prudentia opus est. (2.) est æqualitas ætatis, *quæ similiter attendenda. Prout enim temperamenta senum sunt longè diversa à temperamentis juniorum; ita quoq; senes & juvenes diversis ac sæpe contrarijs delectantur. Qua de causa non facile est juvenem jocis oblectare senem; at potest benè contrà senex juvenem, quatenus ad suam*

respicit

respicit juventutem, & cogitat qualem se gesserit in illa ætate & quibus ipse delectatus fuerit. (3.) est æqualitas ordinis. Nam non sat tutum cum superioribus & in eminentiori dignitatum gradu constitutis jocari; hi enim volunt honorari. Maxima itaq; opus est discretione & circumspectione si jocandum cum Principibus ac Regibus, ne dulcis jocus amarissimum nobis acquirat dolorem. Contrà vero superiores jocari cum inferioribus etsi tutius sit, minus tamen decorum ac utile, cum authoritas illorum hoc modo facile infringatur: nimia enim familiaritas parit contemptum. Præcipue hoc notare debent Præceptores & parentes ne cum discipulis ac liberis jocando, non modo suam deperdant authoritatem apud illos, sed etiam arment eosdem audacia & licentia, ad quamlibet reprehensionem, imo ad quodlibet fere verbum respondendi & obloquendi, ad quod vitium ætas juvenilis procliviter propendet.

6. Tertium requisitum in jocando est Tempus. Non illo tempore, quando hostes classicum canunt, ac patriam devastant, & urbem militibus cingunt obsidentq; ludis jocisq; indulgendum: neq; cum lues pestifera longè lateq; grassatur; neq; cum terræ motus pertimescendi: neq; cum parentes, conjux, liberi & agnati diem fatalem objerunt. Qui enim tunc ludis jocisq; operam dant vel sunt fatui, qui talia mala non intelligunt nec quomodo se gerere debeant norunt, vel sunt sammè perversi qui naturam humanam imo & animalem exuisse videntur, dum nullo timore nullo dolore tanguntur. Libet quærere an tempore famis ludis jocisque indulgendum? Videtur affirmativa suaderi posse exinde quod per lusus calor & spiritus à ventriculo avocentur, unde appetitus dejectio oritur. Propterea etiam Lydi cum ingens esset annonæ caritas aleæ tesserarumq; ludum, & pilæ cæterorumq;

rumq; ludorum omnium genera (excepto talorum) adinvenerunt & ad famem discutiendam altera dierum in totum lusibus occupati sunt, ne scilicet ciborum quærendorum sollicitudine distorquerentur; altera vero à lusibus abstinentes vesci consueverunt: atq; hoc modo vixerunt annis duo de viginti teste Herod. l. 1. *Verum enimvero nos qui Christiani sumus tempore famis præstantissimum remedium putamus esse pias preces, quod remedium primò adhibendum, cui subjungendus diligens labor. Si tamen alicui otium supereſt & ludus jocisq; famem fallere se confidit, per nos hoc ipsi licitum. Convenientissimum autem ad jocandum tempus est convivijs deambulationibus itineribusq; dicatum.*

7. *Quartum requisitum est* Locus *qui debet esse hilaritati congruus. Peccant in hoc requisitum, qui in templo inter concionandum jocantur, & non modo ipsimet concioni non attendunt, sed etiam alios turbant publico scandalo. Simili modo in publicis lectionibus non licet jocari, cum hic locus serijs actionibus sit destinatus: neq; in prælio aut acie ubi hostium mortisq; tela extimescenda; neq; in locis luctui destinatis, quâ in re peccant illi qui nonnullis in locis convivia funebria quæ vocantur* Todwachen *celebrant, & in illis omnis generis lusus & jocos exercent, veluti sunt piscari in mensa &c.*

8. *Quinto requiritur* modus, *qui consistit tum in qualitate tum in quantitate. Qualitate præditi debent esse joci, adeoq; esse* honesti. *Tales vero non sunt (1.) qui captantur ex rebus divinis & dictis sacræ scripturæ, quem detestandum verbi divini abusum à Christianis committi dolendum est. (2.) qui spargunt in proximum, quibusq; existimatio ejus imminuitur & in contemptum adducitur, quod fit non solum quando præsentes sale putido jocorum perfricamus, & dicterijs mordicamus, sed etiam absentium dicta vel facta in convivijs ac con-*

conventibus præsentibus alijs exprimimus & adumbramus, quod nec viri boni est nec boni Christiani. (3.) qui commodi gratia fiunt, quemadmodum ita parasiti risum movere solent ut hoc modo prospiciant gulæ & abdomini. (4.) qui ex rebus obscœnis captantur. Deinde & quantitas modum præscribit jocis, siquidem nimis multi & frequentes satietatem nauseamque pariunt, grattam amittunt & vitio vertuntur.

9. Quæritur hoc loco quid de ludis scenicis sentiendum, an illi in benè constituta Republica sint tolerandi? Sunt qui ludos scenicos sive Comedias & Tragedias, proscribendos judicent, dicantq; ætatem juvenilem hac ratione ad vanitatem & levitatem assuefieri & quasi manuduci. Nos vero putamus tolerandos esse ejusmodi ludos (1.) quia faciunt ad instructionem. Nemo enim inficiari potest quod ocularis & exemplaris in bonis moribus institutio, & contra ocularis à vitijs dehortatio sit omnium efficacissima. Si quis centies deformitatem e.g. ebrietatis verbis depingi audiat, tamen non movebitur tantùm ad illam fugiendam, quam si vel semel ebrium conspexerit, ob quam causam Romani, liberos ad temulentiam proclives, non nudis verbis & dictis correxerunt, sed viva ebriorum servorum exempla illis proposuerunt, ut turpitudine visâ eo vehementius commoverentur ad ebrietatem fugiendam. At in ludis scenicis juventuti & imperito vulgo viva virtutum & vitiorum exempla adumbrantur, ut illas eo magis sectentur hæc vero detestentur. Ergo ludi scenici sunt tolerandi (2.) multi juvenes sunt adeo timidi ut in conspectu magnorum virorum non audeant loqui etiam jussi. At per hujusmodi ludos redduntur animosi? Ergo. (3.) Faciunt ad animorum relaxationem & jucunditatem, de qua re vide Meisner. part. 1. Philos. sobr. sect. 2. c. 4. q. 1. Addenda tamen est limitatio, licitos esse ludos, si locus & tempus, ferant,

rant, nec religioni illudatur, aut scurrilia & obscæna proponantur.

10 Urbanitati in defectu opponitur Rusticitas quâ nec ipsi sumus idonei ad movendum honestos jocos, nec aliorum æquo animo ferimus, ideoq; cum locus & tempus lætitiam postulat, nec vultu nec verbis hilaritatem testamur sed potius eandem torvo vultu turbamus. In excessu est Scurrilitas cum petimus inde jocos unde non decet, nullamq; personarum locorum ac temporum habemus rationem. Ideoq; scurræ sunt qui captant jocos ex rebus sacris ac divinis: Scurræ sunt qui jocos & risum captant ex obscænis rebus quas vel ipsa natura latere vult. Hi non secus ac ibys avis Ægyptiaca immisso in podicem rostro, effusa ex rostro aqua alvum purgat, os immittunt podici, vel podicem ori, & talia quæ vel manibus alij contrectare erubescunt, ore contrectant ac pervolutant, ut dicunt Germani; unde etiam merito vocantur die garstigen unfletigen Narren. Deniq; scurræ sunt, qui risum captant ex dicterijs quæ in convivijs in proximum jaciunt, & quibus aliorum famam & existimationem si non detrituros saltem decoraturos se sperant, qui propterea rectè vocantur schandgäste.

DE VERITATE.

1. Veritas vulgò triplex Logica, Metaphysica & Ethica. Logica veritas est affectio enunciationum, quæ tunc dicuntur esse veræ quando ita pronunciant vel affirmando vel negando prædicatum de subjecto, ut res est, unde & complexa dicitur quia complectitur duos terminos simplices: huic opponitur falsitas, qua in enunciatione non conjunguntur vel distinguuntur prout res sunt conjunctæ vel distinctæ. Metaphysica sive transcendentalis veritas est affectio entis in genere. imo idem quod

quod ens materialiter non formaliter, ideoq; convertibiliter possum dicere, omne ens est verum, & omne verum est ens. Et sic crassissima mendacia sunt vera veritate metaphysica, quia sunt actiones sive entia. Ethica veritas est habitus & opponitur mendacio; alias dicitur veracitas.

2. Definitur veritas Ethica sive veracitas virtus qua id quod in corde sentimus sponte promptèq; ore, verbis & actionibus profitemur. Hinc patet (1.) veraces non esse dicendos qui minis aut torturæ cruciatibus compulsi vera loquuntur, siquidem hoc non faciunt sponte; actiones autem ex habitu prodeuntes sunt spontaneæ. Verax itaq; veritatem edisserit etiam externâ vi non coactus. (2.) Verax non est qui ob pactum & præcedentem conventionem vera loquitur, siquidem & ille videtur coactè operari. (3.) neq; illi qui commodi & utilitatis gratia vera profitentur, quia omnium virtutum finis est honestas. Hinc Aristoteles 4. Eth. 13. verax licet nihil interesit verum dicit, quia talis est ex habitu.

3. Si autem veritatis studiosus etiam ubi nihil refert verum dicit, multo magis ubi referet id faciet. Ex quo patet decisio quæstionis quâ quæritur an quivis teneatur testimoniũ dicere eorum quæ à judice interrogatur? Nam veritatis lex est profiteri veritatem ubi interest ac salus & utilitas Reip. Ecclesiæ, amicorum & proximi nostri id postulat. Ergo si proximi vita, fama aut res familiaris periclitetur tenemur perhibere testimonium omnium eorum quæ scimus, audivimus vel vidimus. Uterq; inquit Augustinus reus est & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit; quia ille prodesse non vult & hic nocere desiderat.

4. Duplex autem est veritas 1. est conformitas verborum cum rebus ac cogitationibus, cum res ita narramus ut sese habent, & prout in corde sentimus 2. est conformitas rerum

cum

cum verbis, cum ea quæ verbis promittimus ipso facto præstamus. De utraq; quæritur an semper & ubiq; proferenda & servanda? Arduæ hæc est quæstio multis difficultatibus referta, ad quam respondemus, Veracitatem Prudentiæ moderamen non excludere sed potius includere. Certum enim est Prudentiam esse directricem omnium virtutum moralium: dirigit autem illas juxta normas ac leges justitiæ universalis quæ suum cuiq; tribuit, unde sequitur quod medium in virtutibus specialibus observandum non sit simplex & unum, sed varium & multiplex, prout concurrentia ad actionem, ut objectum, circumstantiæ loci, temporis &c. variant, de quâ re vide disput. 4. thes. 13, 14. & 15.

5. Totam autem rem sequentibus includemus aphorismis. I. Non quolibet loco neq; quovis tempore verum dicendum: ut non omnia, quæ novimus aliàs esse verissima in conviviis ebrio sunt narranda e.g. si quærat vino madidus, quid inimicus contra eum moliatur, num quicquam adversus eum dixerit, minusq; honeste de eo locutus fuerit, quæ si ebrio indicarentur ad vindictam properaret ac fortassis talia committeret quorum eum postea puderet. Ita quoq; intempestivum proximi vitia in publicis congressibus, etiamsi fuerimus interrogati, longa serie enumerare &c.

6. II. Non omne verum semper dicendum: non tunc quando per illud (1.) portam bipatentem aperimus ad omnis generis mala; e.g. si mobili vulgo vitia magistratus in Repub. morbosâ quis aperiret, ansam ad seditionem præberet. Ita quoq; non omne verum proferendum, si illud discidiorum ac discordiarum maximarumq; turbarum, quamvis per accidens, causa esse potest. Neq; (3.) quando taciturnitatis lex omne verum dicere prohibet, quod fit quando vel per leges naturales vel per leges officij ad tacendum sumus obligati. Posteriori

rieri modo obstricti ad tacendum sunt consiliarij Principum, Senatores, Secretarij & Scribæ qui admittuntur ad negotia secretiora, ideoq; hi interrogati veritatem edissertare non tenentur. Prtori modo quilibet obstrictus maxime sibiipsi, Patriæ nec non propinquis. Si itaq; vel salus propria vel patriæ, vel proximi in discrimen adducatur per nostrum veriloquium, licet per falsiloquium se suosq; salvare. Ita Athanasius fugiens Arrianorum tyrannidem, cum cymba in qua veheretur cursu inverso (quod divinitùs factum) obviam iret hostibus insequentibus, & hi Athanasium compellarent ac dicerent; Numquid hic vidisti Athanasium prætervectum? respondit Athanasius: modo huc ibat; sicq; verum quidem dixit sed non omne, nempe quod modo huc rediret & prætveheretur. Hoc enim erat contrarium legi naturæ quæ jubet servare seipsum non prodere. Huc videtur referri posse exemplum obstetricum Ægyptiacarum Exod. 1. v. 19. Rahab quæ abscondit exploratores & abijsse eos dixit Jos. 2. v. 4. Deniq; si quis ab hostibus fuerit captus non omne verum dicere debet, ne per illud patriæ incommodet, sed in hoc casu, licet interrogatus, indirectè respondere permissum, siquidem non ubiq;, nec omnibus, neq; semper omne verum dicere jubet veritas, aut permittit taciturnitas.

7. Difficilis hic oritur quæstio quid nimirum faciendum, si quis per ordinariũ magistratũ vel judicem de suo ipsius malefacto, cujus confessio sit conjuncta cum præsentissimis periculis, interrogetur an tunc per veracitatis virtutẽ verum celare liceat? Multi putant, ad generalia interrogatoria, qualia sunt an sis homicida, fur &c. vulgata illa loquendi formula, ich bin der keines vberwiesen / nullius horum scelerum sum convictus, respondendum esse. Et qui in casu prædicto verum dissimulat, bonam partem excusationem mereri videtur siquidem Natura quæ omnibus modis, sui conservationem

quærit, & à suâ destructione quam maximè abhorret, eamq; omni curâ fugit ac devitat, vix permittet libere profiteri id quod magnum creare malum ipsumq; exitium potest. Verum tamen quia hoc modo omnia judicia eluderentur, & justitia exspiraret, existimamus viri boni ac veracis esse, verum dicere quoties Reipublicæ interest, sive sibi sit emolumento sive nocumento. At Reipublicæ interest omnia profiteri flagitia, sive propria sint sive aliena. Ergo in tali casu veritatem celare non licet. Accedit, quod quilibet suo magistratui teneatur præstare obedientiam in causis legittimis. At qui judici veritatem confiteri detrectat, etiam in ijs de quibus accusatus, & quorum ipse reus est, ille non præstat obedientiam quam juramento promisit.

8. *Quæritur hoc loco,* annon liceat æquivocare? *Inter strategemata Antichristi* πσευμάλικα *non postremum sibi vendicat locum* beneficium æquivocationis *ut vocant, quo non modo pessima facta sed etiam perjuria defendunt. At hanc autem Lojolitarum æquivocationem intelligendam, notandũ quod distinguant inter* propositionem verbalem, *quæ sermone profertur &* mentalem *sive* reservationis & retentionis mentalis; *item inter propositionem scriptam & mixtam. Mixtam autem vocant quæ partim vocis prolatione partim silentio constat, cum animi sensa partim per verba exprimimus partim preminus e.g. si quis interrogatus de proprio facto, neget se fecisse, subintelligendo sc. ut tibi dicam vel pœnam incurram: vel de alterius facto an ei non constet quicquam de eo, respondeat se nihil scire etiamsi optime sciat, subintelligendo ut tenear tibi manifestare aut simile quid.*

9. *Hoc fallendi artificium non tantum licitum sed etiam laude dignum judicant.* Gregorius de Valentia tomo 3. disput. 5. q. 13. *vocat hanc æquivocationem prudentem defensionem.* Andræas Edæmon-Johannes in apologia

sua

sua cap. 2. illos *dicit esse homines Dei amantes quibus æquivocatio placet.* Martinus Navarrus Azpilcueta in tractatu quem de æquivocatione scripsit, p. 349 *ex Thomâ appellat prudentiam & virtutem, & p. 351. vocat bonam prudentiam, & hac qui utuntur laudandos esse dicit, eamq; æquivocationem fundari ait in illo insigni facto magni illius Patriarchæ Francisci, qui cum forte in campo deambularet ac cerneret furem prætersugientem, tamen cum à lictoribus furem insequentibus interrogaretur, an fur transivisset illac, ipse cum laxas haberet manicas, immissima manu dextrâ in sinistram manicam, respondit lictoribus;* hac non ivit, *subintelligendo tacite suas manicas per quas non iverat. De hoc æquivocandi strategemate disputationes quoq; edidit* Jesuita Personius: *editus etiam à Pontificijs Anglicanis libellus de hac materia, hoc titulo,* Æquivocationis tractatus Blackwelli.

10. *Hac ratione docent licitum esse respondere etiam in judicio ad quæsita à legittimo magistratu proposita, idq; non minus cum juramento quam absq; illo, ut docet exemplum quod Paterculi illi in tractatu Anglicano Blackvvelli adferunt, estq; tale: Grassante per Angliam pestilentia, quidam Londino ubi vis maxima erat mali, Coventriam venit: ad portam urbis occurrit Magistratus, qui delato jurejurando ipsum interrogat, veniat necne Londino? Ille negat strenuè, & dictis jurejurando fidem facit. Quæritur an talis peccet? Negant supra dicti Magistri, quia ille principali & finali propositæ quæstionis scopo (scilicet an sic veniat ut civitati pestem afferat) responsum dedit, licet immediatus quæstionis sensus fuit scire, utrum Londino sit profectus necne? De illo (scil. finali scopo) ut bona conscientia jurare possit, facit certa scientia quam jurans habuit, vel jam pestem non amplius esse Londini, vel aërem non esse ibi in-*

fectum, neq; prætereuntes inficere, vel se equo vectum citato cursu absq; noxa transijsse. Ejusdem sententiæ est Navarrus l. c. Toletus de instruct. sacerdotum lib. 4. c. 21. *Fundamenta autem posuit* Gratianus in causa 22. humanæ aures quæst. 5. *ubi docet Deum juramentum sicut ille qui jurat non aute uti is cui juratur intelligere. Idem probat πάξις Loiolitarum præcipue* Garnetti *proditoris Anglicani, qui interrogatus pro tribunali an ullum ei cum Hallo fuisset colloquium, pertinacissime per animi sui salutem jurans negavit, idq; toties ac cum tantis tamq; horrendis execrationibus repetijt, ut audientium animis grave infligeret vulnus: mox cum Hallus contrarium fassus fuerat, erubuit Garnettus & misericordiam implоravit, agnovitq; quod deliquisset,* nisi ipsum æquivocatio tueretur. &c.

11. *Nos huic æquivocationi Loiolitica talem opponimus Syllogismum: Quicquid latissimum aperit campum hominibus facinorosis ad omnia quantumlibet execranda scelera & portenta flagitiorum, illud est illicitum. At æquivocatio illa Esavitarum hoc facit. Ergo est illicita. Minoris evidentiam qui non videt illum cæcum esse oportet. Si enim licitum tua malefacta, si à legittimo magistratu fueris de illis interrogatus beneficio æquivocationis occultare, nihil te absterrebit à malos non honestas cujus fines jam prætergressus es & ne titivillitij æstimas: non pœnæ, quas æquivocatione te eludere posse confidis, quapropter non desistes flagitia flagitijs addere. Et quid multis, admisso & semel recepto hoc æquivocationis invento, omnia judicia collabascunt, magistratui quando suo fungitur officio sibi à Deo mandato, & in facinorosos inquirit illuditur, perjuria stabiliuntur, imo non deerunt qui sint existimaturi licere coram judicibus Christianæ religioni infestis Christum & veram religionem abnegare sic loquendo: ego non sum Christianus nec Christum colo &c. tacite interim secum supplendo*

plendo, ut tibi dicam, aut ut tenear tibi dicere. Perhorresco cum omnia absurda quæ ex semel concessa æquivocatione repullulant cogito.

12. Altera veracitatis species est, cum facta sunt conformia verbis adeoq; quod promisimus servamus. De hac quæritur an anomne promissum servandum? Respondemus negative: nam I. quæ promisimus aut sunt bona aut mala, honesta vel inhonesta, licita vel illicita. Qui mala promisit, & eadem ipso opere in effectum producit malum malo superaddit. At hoc non licet. Ergo mala promissa non sunt servanda. Hinc dicitur l. pacta 6. C. de pactis: Pacta quæ contra leges constitutionesq; vel contra bonos mores fiunt nullam vim habere indubitati juris est. D. Meisnerus de summo bono cap. 3. art. 1. q. 7. rem binis includit regulis. 1. promissa & pacta quorum impletio cum peccato mortali conjuncta, sunt irrita jure divino & naturali. 2. promissa & pacta quorum impletio est contra bonos mores h. e. quæ præbent occasionem peccandi, sunt irrita jure civili.

13. II. Promittimus aliquid vel sponte vel invitè. Quæ sponte promisimus si sunt honesta & licita omnino sunt præstãda: quod si illa non servamus peccamus contra veracitatẽ & evadimus mendaces. Quæ invitè promisimus vel ex ignorãtia vel ex coactione proficiscũtur. Ex ignorantia promittũt furiosi, ebrij, pueri, & qui dolis sunt circumventi. De his in genere conclusio esto: quæ ex ignorantia promisimus illa non tenemur præstare statim, cum notitia intellectus ibi desit. Coacte promittimus aliquid compulsi externa vi quæ duplex, justa vel injusta. Ad quæ compellimur justa vi illa omnino sunt servanda. Justa autem vi potest Princeps cogere subditos ad præstandum homagium, ad obtemperandum bonis legibus &c. Injusta vi compellimur ab ijs quibus nulla in nos est potestas, ideoq; promissa quæ tali vi extorquentur non sunt necessario servanda. Nam

ut recte sentit Hunnius, effectus omnis acceptus refertur causæ primo agenti. At in violentis externum principium est primarium agens. Ergo huic principaliter accepta ferenda actio. Quicquid igitur tu promisisti adactus ab alio non tam tu quam alter violenter cogens egisse putandus est. Quomodo etiam tenerer & obligarer verbis à me sine ullo cordis assensu recitatis cum non verba sed cordis assensus verbis expressus obliget.

14. *Quæritur hoc loco* an promissio ex metu profecta obliget? *Resp. quando alicui minis atrocioribus sine suo merito & injustè gravis incutitur metus quo impellatur ad promittendum indebitum, non tenetur præstare quidem quod promisit; at quando metus justè cogit ad promissionem, est servanda, e. g. si quis promittat ne crimen ab eo commissum indicetur aut accusetur ob malefactum, ob quod jure accusari poterat, debet stare promissis, quia talis promissio non est simpliciter involuntaria.*

15. *Quid autem sentiendum de promissione illa quam juramento licet vi extorto confirmavimus? Primo respondemus vicissim promissionem juramento confirmatam aut esse in se honestam aut inhonestam, licitam aut illicitam. Illicitæ pollicitationes non sunt faciendæ nedum juramento confirmandæ, sed potius extrema quæq; sustinenda, ut si quis deberet promittere, quod velit fidem & Christum abnegare, cujus rei memorabile exemplum refert Camerarius tomo 1. horar. subsecivarum de quodam Italo, qui cum odium erga familiarem per integros decem annos aluisset, tandem se reconciliatum simulavit, & deinde ex insidijs incautum adortus, & prostrato eo, mortem illi sicâ minatus est, impunitatem tamen promittens si Deum, Christum & fidem abnegare vellet, quod cum miser spe vitæ feciisset, nihilominus à latrone confossus est, adhuc gloriante se optimè inimicum esse ultum, cui non modo temporalem sed æternam quoq; vitam abstulerat.*

16. *At*

16. *At si quis latroni addito juramento cogatur promittere pecuniæ summam & perpetuum insuper silentium, numquid ad servandum promissum obligatur? Ex quæstionibus Ethicis difficillimis hæc non est postrema in quâ determinanda cum Dn. Meisnero de summo bono cap. 3. art. 1. q. 5. distinctè procedendum esse arbitramur, adeoq; quod* pecuniam *attinet illam numerandam dicimus, quia in genere præcipitur omne juramentum, si absq; peccato fieri queat, in reverentiam nominis divini quod illo invocatur, servandum esse. Ergo & hoc quod vi extortum præcipue cum ejus præstatio non sit conjuncta cum* publico damno, *sed tantum privato. Quod vero attinet* silentium *promissu, quia illud cum damno publico conjunctum dum latrones manent impuniti & alij quoq; in manus illorum pervenire possunt, imo fere innuit aliqualem consensionem cum latrone, non videtur servandum. Quanquam tamen ob conscientiæ tranquillitatem, quam in tentatione recordatio non servati juramenti facile turbare potest, in hoc casu locum reticere queat, & in genere latrones adesse indicare, sicq; ad inquirendum magistratum hortari.*

17. *Pro coronide allubescit quærere, si juramentum legittime deferatur cujus formula sit capax homonymiæ & amphiboliæ, & sic jurans data opera alio sensu juret quam alter intelligit, an hoc modo jurans obligetur? Supra thesi 10. tetigimus execrandam Papanorum impudentiam quâ non verentur malefacta sua innocenti ut putant perjurio negare & pernegare. Fundamentum autem cui innituntur potissimum hoc est, quod is qui exterius jurat & interius aliud statuit sentitq; non obligetur tali juramento c. humanæ aures 22. q. 5. Lessius lib. 2. de Iust. cap. 42. Verum nos præ manu illis hoc quod fundamenti loco ponunt negamus. Nam formulam juramenti non præscribit sibi jurans, sed deferens juramentum, ideoq; sensus in ea nullus alius observandus quam præscribentis, quem etiam*

etiam acceptat eo ipso quod non repudiat. Ergo qui jurat ipso facto in conspectu Dei se obstringit ad eum sensum, quem deferens juraturo proponit & explicat. Dum itaq; Jesuitæ æquivocationem concedunt (1.) ad perjuria fenestram aperiunt (2.) invocationi divini nominis annectunt fraudem (3.) omnium juramentorum certitudinem tollunt, ut nihil illis certificari possit, &c.

Corollaria.

1. Penitrò rectius dicitur de eo quod ad intra, quia idem est quod penitus intro: penetro verò rectiùs de eo quod ad extra tendit; quemadmodum in corpore nostro fuligines & vapores cutim penetrant; aer autem ambiens penitrat.

2. Priscus est mos salutandi alios osculo. Viguit apud *Persas* Herodot. lib. 1. *Medos* Xenophon in pæd. Cyr. *Romanos* Plutarchus in Romul. *Anglos* Polydor. Virgil. lib. 4. de rer. invent. cap. 13. Quæritur itaq; an osculo salutare liceat? Licet ibi, ubi consuetudo inolevit.

3. Prout magnes trahens acum simul trahit filum in acu: ita renes trahunt serosum humorem, quatenus in se utilem continet.

4. Ventriculus est temperiei calidæ & humidæ non frigidæ, quia tunica media quæ propria ejus substantia (intima enim tunica ei est communis cum œsophago & ore, extima cum peritonæo) est carnosa. Carnis autem temperamentum esse calidum quis ibit inficias?

5. In Metaphysica veræ de Deo dantur demonstrationes, & tamen in Deo non sunt accidentia, neq; quicquam illo prius.

Exercitationum Ethicarum

DECIMA

DE

SEMIVIRTUTIBUS

Sive,

CONTINENTIA

&

TOLERANTIA,

In Illustri ad Varnum Balthicum

Academiâ

PROPOSITA

PRÆSIDE

M. IACOBO GERHARDI

RESPONDENTE

JOACHIMO OTTONE

Colbergâ-Pomerano.

Habebitur horis locoq; consueto, ad diem 14. Febr.

ROSTOCHII

Typis Joachimi Pedani, Acad. Typog.

ANNO M. DC. XXI.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729272885/phys_0231

DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729272885/phys_0232
DFG

THESIS I.

Habitum omnem quem industria nobis comparamus, facultatem naturalem cui superadditur præsupponere nemo ignorare potest, nisi ille qui ne limis quidem oculis Philosophiam adspexit. Experientia quotidiana si ad illam oculos convertimus hoc abundè docet, siquidem videmus quosdam illam facilitatem ac promptitudinem in fundendo carmine sibi acquirere non posse quæ fuit in Ovidio, Virgilio aut alijs etiam Poëtis longè inferioribus. Quid causæ est? Non sunt præditi facultate & inclinatione quâ illi. At facultas est primum & radicale principium (exceptâ animâ cui facultas inhæret) operandi. Ubi itaq; non subest naturalis potentia, ibi non potest ullus habitus superstrui, prout videmus in lapide, qui cum careat naturali potentia ad saltandum, nemo quamvis sit summus artifex, habitum saltandi ei introducet. Simili modo cum in homine non sit facultas ad volandum, nunquam volare discet, licet Cardanus sollitus admodum de illâ re fuerit.

2. *Idem cum procedat in habitibus virtutum, benigna natura naturales propensiones, semina & igniculos virtutum nobis ingenerat. Hinc Aristoteles* 6. Ethic. cap. 13. *docet quod naturâ simus justi, fortes, temperantes &c. Verum quia facultas nondum est habitus, sed potius species qualitatis ei contradistincta, præter potentiam requiruntur adhuc multæ operationes ad perfectum habitum producendum. Unde* triplex gradus *virtutum considerandus, quorum primus est* imperfectarum *quæ propterea etiam* semivirtutes *appellantur, secundus* mediocrium *quæ aliàs vocantur absolute vir-*

tutes, item virtutes communes, *quod communiter homines talem perfectionem in aliquâ virtute consequantur, tertius* perfectissimarum *sive* heroicarum, *quæ velut apex & splendor virtutum moralium. De posterioribus duobus gradibus cum in præcedentibus exercitationibus prolixe actum restat ut de priore gradu imperfectarum virtutum agamus.*

3. *Numerum imperfectarum virtutum si quis examussim investigare havet, non poterit melius id facere quã respiciendo ad numerum perfectarum, siquidem cum omnis completus habitus requirat dispositionem præcedentem, tot erunt dispositiones quot habitus, adeoq; tot semivirtutes quot sunt virtutes perfectæ. Quia tamen in specie virtutes imperfectæ proprijs nominibus carent, Philosophus ex generali objecto numerum educere voluit. Generale autem objectum cum sit duplex* voluptas *&* dolor, *duplex etiam semivirtus* continentia *nempe &* tolerantia, *quarum illa circa voluptatem, hæc circa dolorem occupata est.*

4. *Quæritur hoc loco* an continentia & tolerantia versentur circa omnem voluptatem & dolorem? *Respondet Aristoteles negando* lib. 7. Ethic cap. 3. *Nam si bonæ sunt cupiditates, habitus qui prohibet ne illas sequamur, pravus est, siquidem bonum non est contrarium bono neq; id impedit sed promovet. Unde sequitur quod non omnis continentia sit honesta, qualis est illa papanorum, Loiolitarum & Monachorum qui licitam voluptatem prohibent, interdicentes usum certorum ciborum certis temporibus, ut & matrimonium clericis quam doctrinam Paulus* 1. Tim. 4. *vocat dæmoniorum doctrinam. Non itaq; illi sunt dicendi continentes quia abstinent ab illis, quæ honestas non vetat sed potius imperat; quanquam & hoc addendum, illorum abstinentiam non esse veram sed hypocriticam ut conqueritur* Innocentius sermon. 2. in die

die ciner. *ubi ait: Noctu filium veneris agitant in cubili, mane filium virginis sacrificant in altari: Nocte Venerem amplexantur, mane virginem venerantur. Et verissimè cecinit Eobanus Hessus:*

O Monachi vestri stomachi sunt amphora Bacchi
Vos estis, Deus est testis deterrima pestis.

5. *Contrà non omnis qui ob voluptatem quippiam agit, est pravus aut incontinens, sed qui ob turpem voluptatem agit inquit* Aristoteles cap. 10. *Nam quod per se bonum, licitum & honestum est, virtuti non est contrarium. At quædam voluptas est bona, licita, honesta, ut latè probat* Arist. 7. Ethic. cap. 13. *Ergo qui à tali non abstinet non est dicendus incontinens. Adde quod quædam virtutes ut Comitas & Urbanitas docent versari circa voluptatem, ut præcedente disputatione probatum. Ergo qui vitam umbraticam degunt, omnem voluptatem aversantur non sunt dicendi continentes & vicissim qui animi gratia cum alijs conversationes ut & convivia & similia instituunt non sunt incontinentes vocitandi.*

6. *Simili modo non est tolerans qui omnia perfert, aut contra mollis qui cuncta non tolerat. Sunt enim quædam mala quæ æquo animo perferre non debemus, ut si nobis intentetur crimen aliquod aut infamia, nemo sanâ mente præditus hoc ipsum tolerare debet, sed omni conatu resistere, nec ullo modo pati sibi maculam alliniri, aut in se hærere, quandoquidem fama cum vita pari passu ambulat. Prout itaq; nemo debet tolerare ut alter hostili telo in eum irruat ac vita privet, sed quocunq; potest modo resistere ac inculpatâ tutelâ se suamq; vitam defendere, & ne primum quidem ictum expectare: ita nemo prudens ac bonus suam existimationem constuprare ac incestare bonæ famæ adulteros permittet. Ideoq; Aristoteles* cap. 8. *ait: si quis vehementibus & modum excedentibus dolo-*

bibus vincitur, id mirum non esse, sed qui ab ijs vincitur, quibus plerique possunt resistere. Jam vero nullus major est dolor quam qui ex læsione famæ &c.

7. Continentia (ut jam de singulis seorsim agamus) dicitur à continendo, quod affectus quasi repugnantes contineat & cohibeat, ut rationi quamvis invitè obtemperare cogantur. Ideoque definiri potest quod sit semivirtus per quam recta ratio affectus invitos & reluctantes à suis inordinatis actibus abstrahit. Et in hoc differt continentia à virtute perfecta, quod in illo qui completo virtutis habitu instructus, ratio dominium in affectus obtineat tranquillum & pacatum; siquidem omnis habitus inclinat & facilitat potentiam ad promptè & hilariter operandum, ideoque & virtutis habitus hoc ipsum præstat adeoque inclinat & assuefacit per crebras actionum repetitiones appetitum ad obtemperandum rectæ rationi promptè ac cum voluptate, unde Aristoteles signum habitus acquisiti ait esse voluptatem: in quo autem tantum dispositio quædam est ad virtutem adeoque virtus imperfecta, in illo ratio non obtinet quietum dominium in perturbationes, sed veluti indomiti equi contra sessorem ita & perturbationes contra intellectum luctantur ejusque imperium & regimen ægrè ferunt, ideoque licet ratio & semivirtus vincant tamen non sit sine lucta.

8. Est autem continentia duplex prout voluptas circa quam occupata est. Nam prout Aristoteles 7. Ethicorum capit. 6. docet, quæ voluptatem afferunt illorum alia sunt necessaria, alia non necessaria quidem sed tamen jucunda: priora vel sunt necessaria ad conservationem individui ut alimenta cibus potusque, vel ad conservationem speciei ut Veneris usus; posteriora sunt victoria, honor divitiæ & similia quæ vitam reddunt suaviorem jucundiorem & splendidiorem.

rem. Quæ circa voluptates rerum necessariarum versatur absolutè continentia Aristoteli dicitur; quæ vero circa voluptatem alteram, non absolute continentiam vocat sed cum adjectione, addendo scilicet pecuniarum, lucri, honoris iræ & c continentiam vel incontinentiam.

9. *Quæritur hoc loco* I. an quicunq; perseverat in aliqua opinione sive eo quod ratio ipsius suadet, sit continens, adeoq; an obstinatus & pertinax cum continente idem sit? *Respondet* Aristoteles 7. Ethic. c. 10. *quod obstinati quidem similitudinem quandam cum continente habeant sicut prodigus cum liberali audax cum forti, in multis tamen differre. Nam (1.) pertinax magis in malo & inhonesto proposito perseverat: at continens contrà in honesto. Unde si omnis qui in suo persistit proposito dicendus esset continens, etiam qui in malo persistit proposito talis esset nuncupandus ac propterea laudandus, quo quid potest esse absurdius? (2.) Continens si inhæret proposito & sententiæ minus bonæ patitur se rationibus ab illa dimoveri. At pertinax nullo modo rationi utut evidenti locum relinquit, neq; à suo proposito se dimoveri patitur, quod est proprium omnium obstinatorum, quorum tria sunt genera: quidam enim sunt* singulares *qui singulares ac proprias opiniones, sæpenumero absurdiores quam quæ per somnium oboriri solent, eo nomine defendunt, quod sint singulares & à nemine hactenus quam ab ipsis solis propositæ, & hi ab Aristotele l. c. vocantur* ἰδιογνώμονες: *quidam sunt indocti qui licet suas falsas opiniones defendere nequeant, neq; rationes contrarias solvere tamen ab illis desistere nolunt, & hi vocantur* ἀμαθεῖς: *denique quidam penitus non curant, utrum benè vel malè sentiant, nec volunt rationes aliorum audire, & ita pertinaciter persistunt in suo proposito & opinione, qui* ἄγροικοι *agrestes dicuntur.*

10. *Quæ-*

10. *Quæritur* II. An continentia sit eadem cum temperantia? *Ad hanc quæstionem itidem respondemus negativè, illa non esse planè eadem, sed differre (1.) ut latius & angustius, generalius & specialius, siquidem ut antea dictum, continentia non tantum versatur circa alimenta ac venerem sed etiam circa divitias, honores &c. adeoq; est concertatio quædam in genere inter virtutem & vitium, ita tamen ut virtus sit superior & vincat: At temperantia occupatur circa speciale objectum voluptatem nempe alimenti ac veneris duntaxat. (2.) differunt ut perfectum & imperfectum, ut habitus & dispositio, unde oritur (3.) discrimen quod in temperante affectus rationi absq; pugna subjciantur; in continente autem cum lucta. Hinc Aristoteles* 7. Ethic. 11. *ait: continens ejusmodi est ut nihil præter rectam rationem ob corporis voluptates faciat, & similiter temperans; sed ille tamen pravas habet cupiditates, (intellige reluctantes) hic vero non habet; atq; hic (temperans) est talis ut præter rationem non oblectetur; ille autem talis ut oblectetur quidem, sed tamen non ducatur.*

11. Opponitur *continentiæ* in defectu *semivitium nomine carens quo quis voluptatibus minus oblectatur quam oportet*, in excessu Incontinentia *quâ magis quam oportet voluptatibus oblectamur easdemq; sectamur. Quia tamen vitium illud quod in defectu in paucis & raro solet reperiri, fit ut quemadmodum temperantia intemperantiæ esse contraria tantum videtur, sic incontinentiæ continentia esse videatur,* Aristot. l. c.

12. *Quæritur hoc loco* an incontinens peccet sciens? *Author est Aristoteles* 7. Ethic. c. 2. *Socratem propterea negasse incontinentiam, quod nemo videatur posse peccare sciens: absurdum enim existimabat si adsit scientia aliud quid dominari*

nari ne quasi mancipium hominem trahere. Dicebat itaq; Socrates irrisione dignum esse, statuere hominem boni conscium male agere, quod à voluptate vincatur, adeoq; ait hoc non provenire ex vehementia cupiditatum sed ex insciti â, quod talis non recte sciat metiri bona & quod eorum sit præstantius judicare, indeq; fieri quod à voluptate ducatur, quia non cognoscit eam esse minus bonum.

13. Verum huic opinioni contrariatur ipsa experientia, siquidem quisq; in se experitur quod à voluptatibus contra rationem ad nonnulla peragenda trahatur, ut cum Medea sæpe illud ingeminet: Video meliora proboq;, deteriora sequor. Ideoq; hi fatentur se non propterea sequi voluptates, quod existiment illas esse majus bonum, sed quod affectus sint nimium vehementes, ut illis resistere nequeant, qua de causa etiam amicos rogare solent, ut quando tam vehementibus perturbationibus abripiuntur, illorum conatus impediant, ne committant aliquid, cujus illos postea pudeat ac peniteat. Unde Aristoteles cap. 11. dict. libr. ait incontinentem similem esse civitati, quæ omnia quidem quæ fieri debent decernat, leges q; bonas habeat, sed eis tamen non utatur. Cum itaq; experientia in ijs quæ ad mores pertinent sit efficacissima, jam autem illa testetur incontinentes meliora videre illaq; probare & tamen deteriora sequi, cur nollemus inde concludere quod incontinens peccet sciens?

14. Aristoteles totum negotium aliquot distinctionibus determinat quarum 1. est quod τὸ scire dupliciter sumatur vel pro scientia habituali, vel actuali: habitus potest esse in aliquo qui actu ex illo habitu non operatur ut patet in dormiente, furibundo, & vino oppresso. Hoc modo Philosophus ait scientes esse incontinentes qui in perturbationibus sunt constituti, nempe quod habitum quidem possideant sed illo non utantur, siquidem iræ & venereorum cupidates, nonnullaq; hujusmodi

corpus etiam manifestè immutant, quosdam etiam in furores inducunt. Exemplum habemus in Rege Perdicca de quo Soranus scribit, quod amore adeo contabuit, ut phtisi eum laborare opinarentur non pauci. Verum Hippocrates accersitus animadvertit, eum amore & intrinseco animi dolore contabescere: nam ancillam patris sui miserè deperibat & quoties videbat eam, & mens & color pariter mutabantur in eo Carion in Chronic. Et revera amor videtur esse furor quidam, siquidem ut Aristoteles 7. Ethic. c. 12. ait, in venereâ voluptate constitutus nemo intelligere quippiam potest.

15. II. Distinguit Aristoteles inter scientiam universalem & particularem. Incontinens novit quidem in genere turpe esse fugiendum, sicq; sciens agit, verum non raro subsumptionem & particularem propositionem, nempe, Hanc vel illam actionem esse turpem, vel ignorat vel non considerat, sicq; in agendo peccat. Causa vero quæ facit ut notitiam generalem honestorum & turpium ad actiones singulares non applicet sunt vehementes perturbationes quibus abripitur. Non tamen solo appetitu peccat incontinens sed concurrit etiam ratio, quamvis debilis & infirma, quæ à perturbationibus vincitur; ideoq; quodammodo cognoscit, & quid & cujus causa faciat.

16. Quærit porro Aristoteles quomodo solvatur illa ignorantia & continens rursus efficiatur (plene, distinctè) sciens? Respondet idem, eandem in hoc esse rationem quæ in temulento. Prout itaq; temulentus, illo tempore quod actionem præcedit, plenam habet rerum actionumq; suarum scientiam quales illæ sint; postea vero cum vino intellectus obnubilatus est similis est ignoranti; demum postquam ebrietatem per somnum ac temporis moram concoxit iterum ad notitiam redit: ita triplex tempus circa incontinentem considerandum est (1.) quod præcedit actionem & tunc plenam ac distinctam

cogni-

cognitionem habet honesti generalem & particularem (2.) præsens in quo actio, & tunc mens perturbationibus est perturbatus (3.) post actionem, & tunc ad se redit, ideoq; eum facti panitet.

17. Cum oppositorum eadem sit ratio, & continentia sit duplex quarum altera absolutè talis quæ circa voluptatem gustus & tactus, altera vero cum adjectione ut iræ, lucri &c. incontinentia quoq; duplex, altera absolutè talis altera cum adjectione. Hinc quæritur, an incontinens alimenti & Veneris, sit pejor incontinente iræ? *Affirmativam tenet Philosophus* 7. Ethic. cap. 6. *cujus ratio (1.) est quod incontinens iræ rationem audiat & ejus decretum exequatur, quæ jubet illatam injuriam vindicare; sed ejus mandatum non recte percipiat, siquidem nimis celeriter ad vindictam properat antequam nimirum plenum rationis mandatum percepit; quemadmodum festini ministri faciunt, qui priusquam omnia quæ dicuntur, audiverint excurrunt, & deinde aberrant: & sicuti canes, antequam inspexerint an amicus sit quispiam, si strepitum tantummodo fecerint latrant. Ita inquit Aristoteles, ira ob fervorem celeritatemq; audiens quidem, sed non quid præcipiatur attendens ad vindictam incitatur. Nam statim ubi ratio vel imaginatio contumeliam aut contemptum esse ostendit, indignatur & quasi ratiocinando collegit bellum ei esse inferendum, statim inquam ubi ratio suave esse aliquid dixerit (jucundum enim est existimare se consecuturum esse quæ appetit, unde consequitur voluptas quædam ex hoc quando versamur in ulciscendo* ratione *quæ igitur tunc fit phantasia voluptatem parit ut quæ in somnijs ait* Aristot. 2. Rhetor. 2.) *cupiditas ad fruitionem ejus incitatur; ideoq; ira rationem quodammodo sequitur & ab illa vincitur. At incontinens alimenti ac veneris rationem suadentem plane non sequitur sed potius contrarium, feturq; ad ea quæ sensibus gu-*

stius & tactus videntur esse jucunda sicq; à cupiditate non ratione superatur. Ergo pejor est.

18. (2.) *Incontinentia iræ magis proficiscitur ex natura & temperie, quam ex voluntate, ut patet in cholericis: incontinentia autem alimenti veneriscq; magis ex voluntate oritur. Ergo est pejor, cum malum quo magis participat de voluntate, magis etiam reprehendendum sit.* (3.) *qui insidiosius agunt sunt injustiores, & pejores. At incontinentes ex cupiditate magis callide & fraudulenter agunt, fugientes lucem & malefacta sua in occulto perpetrantes; contrà incontinentes iræ agunt apertè & palàm. Ergo.* (4.) *incontinens iræ videtur incitari justo dolore ad vindictam: at incontinens alimenti ac veneris nullum honestum prætextum habet. Ergo hic est deterior.*

19. Quæritur porro an intemperans sit deterior incontinente? *Affirmat Aristoteles quia* (1.) *intemperans agit κατὰ προαίρεσιν consultò & cum electione, siquidem qui vitiosum habitum acquisivit per crebras actiones, ille datâ opera & studio, sciens volensq; ita operatur: at incontinens agit inconsultò & sine electione quia ab affectibus abripitur & superatur, unde Philosophus ait eum esse similem illi qui & cito & pauco vino, & pauciore etiam quam plariq; inebriatur.* (2.) *intemperans cum voluptate operatur, ideoq; eum facti non pœnitet: at incontinens ab affectu superatur ideoq; postea pœnitet eum facti.* (3.) *incontinens facilè sanari potest: at intemperans est incurabilis & pergit peccata continuare.* (4.) *incontinens semipravus est quia non possidet perfectum habitum sed tantum dispositionem: intemperans vero est plenè pravus, nempe habitu vitioso præditus. In malis vero vitium deterius est semivitio. Ergo intemperantia est deterior incontinentia, & intemperans incontinente.*

20. Dividitur incontinentia I. in imbecillitatem & temeritatem sive præcipitantiam. *Infirmitas est incontinentia*

nentia quâ quis cupiditatibus suis aliquandiu resistit & reluctatur, tandem vero quasi defatigatus succumbit, sicq; ad peccandum trahitur. Præcipitantia est quâ quis veluti abripitur subitaneis affectibus antequam ratio potest suo munere fungi, unde Arist. c. 8. *hac incontinentia temeraria incontinentes esse ait, celeres præcipuè (quales sunt cholerici) & atrâ bile affectos: illi enim ob celeritatem; hi ob vehementiam (imaginationis) rationem non expectant propterea quod proclives sunt ad sequendam imaginationem. Pejor itaq; est infirmitas quia admittit consultationem; nam infirmi ubi consultarunt in ijs quæ decreverunt non perstant ob affectum: temerarij vero antequam consultant ab affectu ducuntur. II. Prout jucunda alia naturâ, ut cibus ac potus necnon venus, alia non naturâ sed vel ex feritate vel ex morbo, vel ex prava consuetudine: ita incontinentia quædam est quæ* absolute & propriè talis, *nempe quæ circa voluptatem alimenti ac veneris: quædam* ferina *cujusmodi in illa muliere erat, quam gravidarum ventres rescindere atq; inde fœtus comedere consuevisse ajunt, vel in illis populis circa Pontum quorum alios crudis, alios humanis carnibus vesci, alios sibi invicem infantes ad epulandum mutuare perhibent,* Arist. 7. Eth. 6. *vel in Nigritis qui veterem Guineam inhabitant, ut & ijs qui in insula Peru; quos carne humana vesci testatur* Bertius in tabul. Georgraph: *quædam* morbosa *qualis in furibundis & mulieribus picâ laborantibus, quæ sæpenumero inordinata ut terram stercora & alia appetunt tanta cupiditate, ut si illa non consequantur, ob vehementem imaginationem ejus rei imago fœtui inducatur,* Hippocrat. lib. de superfœtat. Avicenna 4. de anim. c. 4. Weinrich. de monstris cap. 14. Lemn de occult. natur. mirac. c. 5. & has maculas indelebiles esse docet Hieron. Mercur. in Cosmetic. cap. 14. *denique quædam ex consuetudine, ut in illis qui ungues rodunt, carbones, cretam & similia comedunt. Et tantum de continentia, sequitur Tolerantia.*

21. Tolerantia est semivirtus quâ res adversas & laboriosas cum dolore honestatis gratia perferimus. Objectum *ejus sunt* res laboriosæ *cum dolore conjunctæ sive dolor cui resistere oportet. Nam à natura cuilibet rei & sic etiam homini ingeneratus est appetitus conservandi seipsum, unde sequitur quod omnis, quæ nocent ac destruunt quocunq; potest modo depellere conetur, sicq; debitum modum in omnibus non observet. Tolerantia vero docet servare modum adeoq; dolores qui honestè ferri possunt tolerare magno animo, quamvis repugnet appetitus irascibilis.*

22. *Et in hoc differt tolerantia à Fortitudine, siquidem hæc est virtus perfecta qua appetitus plenè est domitus ut absq; luctâ rationi obediat, & quod hæc perferendum ei præscribit prompte ferat: illa vero est tantum imperfecta virtus quæ appetitum nondum plenè superavit, ideoq; tolerans sentit repugnantiam appetitus: quamvis etiam in eo differant, quod fortitudinis proprium sit pericula adire; at tolerantiæ non est adire sed imposita tolerare ac perferre.*

23. *Quæritur heîc* an tolerantia in patiendo consistat adeoq; merè passivè se habeat? *Respondemus negando. Nam quatenus inclinat appetitum irascibilem ad tolerandum res adversas, maxime activa est tolerantia. Tolerare inquit Aristoteles* 7. Ethic. cap. 8. *in resistendo consistit, continentia in continendo & cohibendo: diversum autem est resistere & cohibere, non secus ac non superari & vincere. Resistit itaq; tolerantia doloribus facitq; ne ab illis superemur ac vincamur, & sic est maximæ activitatis.*

25. Opponitur, *Tolerantiæ in excessu* Obduratio, *quâ pertinaciter sine honestatis respectu adversa dolores q; perferimus. Apud Spartanos obdurationem viguisse communiter dicitur, ac narratur de puero quodam Spartano, cum vulpeculam esset furatus, eamq; sub veste occultaret, & bestia ipsius latus mordicus apprehensum ad intestina roderet, dolorem*

pertinaci

pertinaci silentio perpessus est, imo & quibusdam objurgantibus eum & dicentibus; præstat obtegere vulpeculam quam ad necem servare: Nequaquam, dixit, quin imo præstat doloribus immori, quam committere ut ob mollitiem vitam lucrifecisse dicar.

26. In defectu *opponitur Tolerantiæ* Mollities *quando quis deficit in perferendis ijs doloribus, quibus plerique renituntur & prævalent. Mollities vel est ex morbo, vel ex vitio gentis quemadmodum ita Persarum reges molles fuere, vel ex natura sicuti ita mulieres molliores viris. Quaritur autem an mollities sit propria mulierum?* Tholosanus lib. 7. de Republica cap. 11. *ait, mulieres magis consuetudine quam natura molles esse; quod veritati non videtur esse consentaneum. Nam mulieres si comparentur cum viris sunt frigidiores & humidiores, quæ vera causa mollitiei. Licet itaq; extraordinaria & singularia quædam individua muliebria reperiantur, quæ sexum quasi superant, tamen si sexus cum sexu comparetur, verissimum manet* mulieres esse natura molliores viris.

COROLLARIUM.

Digitus sinistræ manus minimo proximus, jam olim apud Græcos & Romanos præ cæteris illo honore dignus habitus, ut aureo annulo insigniretur, ut testatur *Agellius lib. 10. Noct. Attic. cap. 10.* In assignanda vero causa valde discrepant. Disarius apud *Macrobium lib. 7. cap 13.* putat propterea hoc fieri quod *nervus* quidam de corde natus, prorsum pergat usq; ad digitum manus sinistræ minimo proximum, quam causam reddit etiam Appion in libris Ægyptiacis teste *Agellio. l. c.* Verum quia *nervi* oriuntur à cerebro non corde, ideoq; digito illi erit per nervum istum consensus cum cerebro potius quam corde. Adde quod in digitum illum sinistræ manus nec plures nec majores nervorum surculi deducantur quam in alios. *Levinus Lemnius lib. 2. de occultis natur. miracul.*

racul. cap. 11. aliam redddit rationem nempe tenuem quendam *arteriæ ductum* à corde ad hunc digitum porrigi, cujus motus in parturientibus ac delassatis, omnibusq; cordis affectibus, indicis contactu percipiatur. Imo testatur se observasse complures chyragræ ac podagræ obnoxios, quibus omnes articuli acerbissimo dolore tumoreq; fuerint inflati, illo tantum sinistræ manus digito illæso, qui infimo proximus est; nec esse ex hoc morbo cuiquam mortem extimescendam, donec digitus annularis nodosus efficiatur atq; tumescat. Deniq; addit se ipsum in praxi, animi defectu collapsos erigere solitum, vellicato hujus digiti articulo auriq; cum momento croci attritu. Hanc Lemnij rationem *quidam* propterea reijcit, quod hic digitus in sinistra manu nullam videatur habere prærogativam præ illo in dextra manu, sed potius contrà hunc præ illo, siquidem ut docet *Franciscus Valesius comment. in 2. Epidem. Hippocr. sect. 5.* major est arteria quæ dextrum brachium subit, quam quæ sinistrum, quam ob causam fit ut in omnibus bene compositis & temperatis hominibus, major & vehementior pulsus, imo etiam robur majus dextri brachij quam sinistri: cujus rei causam *Costæus lib. 5. disquisit. Phys.* arbitratur esse vel *naturalem* ab hepatis dextras partes foventis caliditate, vel *adscititiam* ob dextri brachij majorem & frequentiorem motum & exercitationem. Si itaq; arteria dextri brachij amplior quam sinistri, propagines quoq; ipsius ad manum extremam & digitos erunt majores, & per consequens major cum corde consensus. Sed nos breviter pro Lemnio respondemus, eo ipso quia arteriæ dextræ manus sunt ampliores, virtutem unitam & fortiorem ab auro communicari cordi per arterias sinistræ manus tanquam exiliores, cum virtus unita semper sit fortior quam dispersa, sit modo virtus aliqua à solido auro cordi communicari potest, quod multi non credunt.

Exercitationum Ethicarum

UNDECIMA ET ULTIMA

DE

AMICITIA

Quæ

Auspicijs ductuq; Divini Amoris

IN

Incluta Academiâ Rostochiensi

Proposita

PRÆSIDE

M. IACOBO GERHARDI

Colbergâ-Pomeran.

RESPONDENTE

JOHANNE JOHANNIS STOKHOVIO

Bergâ-Norvvago.

Habebitur, horis locoq; consuetis ad diem 13. Martij.

Rostochi

Excudebat JOACHIMUS PEDANUS,

Anno M. DC. XXI.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729272885/phys_0247

DFG

Exercitationum Ethicarum

UNDECIMA ET ULTIMA

DE

AMICITIA

Quæ

Auspicijs ductuq; Divini Amoris

IN

Incluta Academiâ Rostochiensi

Proposita

PRÆSIDE

M. IACOBO GERHARDI

Colbergâ-Pomeran.

RESPONDENTE

JOHANNE JOHANNIS STOKHOVIO

Bergâ-Norvvago.

Habebitur, horis locoq; consuetis ad diem 13 Martij.

Rostochi

Excudebat Joachimus Pedanus,

Anno M. DC. XXI.

THESIS I.

AMicitia res quantivis pretij! Summis illam elogijs expectorarunt prisci Sapientiæ Consulti, ob multiplices utilitatum rivulos, qui ubertim ex illâ scaturiunt & in omnes promanant. Tullius, qui Eloquentiæ parens audit, solem è mundo tollere ait, qui amicitiam tollunt. Philosophus noster 8. Ethic. in limine statim, eandem vocat rem ad vitam maximè necessariam. Absq; amicis enim vivere (addit) eligeret nemo, licet omnia cætera bona suppeterent.

2. Et revera derivat commoda sua in omnium conditionum homines. Divitibus enim quid prodest ejusmodi prosperitas, si tollatur beneficium quod erga amicos & præcipuè fit & maximè laudatur. Nam ubi tollitur beneficentia, ibi bonorum fortunæ usus perit. At divitiarum, prout reliquorum instrumentorum, tota vis consistit in usu, unde etiam ab usu dicuntur χρήματα. Hinc polcrè Seneca epist. 6. Nullius boni sine socio jucunda possessio est? Nec me ulla res delectabit licet eximia sit & salutaris, quam mihi uni sciturus sum. Si cum hâc exceptione detur sapientia ut illam inclusam tenecam, nec enunciem, reijciam. Deinde opes & divitiæ sine amicorum auxilio servari ac defendi non posse videntur. Quanto enim amplior possessio tanto periculosior est, ut inquit Stagirita 8. Eth. c. 1.

3. Pauperibus & afflictis amicitia prodest ad solatium & subsidium. Nam in paupertate & reliquis infortunijs amicos esse unicum refugium homines putant. Infantibus &

pueris est necessaria ad nutritionem & educationem: nisi enim amarentur, nunquam enutricarentur & educarentur. Juvenibus conducit ad id ut non peccent, sed virtutum viam prensent. Senibus prodest ad obsequium & defectum actionum ad quas ob imbecillitatem auxilio indigent. Rectè itaq; Cicero: non aquâ, non igni non aëre pluribus locis utimur quam amicitiâ.

4. *Annon igitur digna ut nativa ejus facies & indoles inquiratur? Ita sane. Ne autem nominis ambiguitas nebulas menti offundat, sequestramus (1.) illam amicitiæ significationem quæ notat naturalem rerum συμπάθειαν quæ aliàs amicitia naturalis dicitur. Sic ulmus dicitur amica vitibus, lacerta homini, equis hirci, quam ob causam solemus in stabulis nutrire hircos quod oculis & sanitati equorum conferant; certè mirum in modum mutuo se diligunt inquit Cardanus* lib. 18. de subtilit. Confer. Mizald. de arcan. Fernel. de abdit. rer. caus. Lemnium de occult. natur. mirac. Magiam Natur. Baptist. Port. Smoll. manual. rer. admirab. *(2.) Disterminamus & illam significationem, quâ notatur amor, quo sibi mutuo adsociantur quibus speciei identitas intercedit, sicuti graculus graculo assidet &c. (3.) Neq; illam intelligimus amicitiam quæ ex generatione oritur, dum συγγῆ parentes & filij mutuo erga se flagrant: sed (4.) πολιτικὴν sive civilem hic intelligimus quâ animi mutuâ benivolentiâ ex conversatione contractâ sibi devinciuntur.*

5. *A cortice exteriore sive nomine, ad nucleum interioremq; medullam h. e. essentiam sive quidditatem amicitiæ civilis pergimus. Hîc vero statim quæstio est movenda de Genere, ac sc. amicitia sit virtus? Aristoteles, dum in limine capitis* 1. lib. 8. Ethic. *inquit: aut virtus quædam est (amicitia) aut cum virtute, dubitare videtur; sed videtur tantum*

tum. Nam 2. Ethic. cap. 7. ubi acroamaticè de virtutum numero egit, amicitiæ nullam planè fecit mentionem; quo satis indicavit, se non agnoscere amicitiam pro virtute.

6. Nec desunt rationes pro illâ assertione satis ponderosæ. (1.) Causa efficiens rei non est Genus ejusdem, quia Genus est de intrinsecâ constitutione & essentiâ speciei, ideoq; de illâ etiã prædicatur quidditativè, synonymicè, directè in casu recto, ut homo est animal, justitia est virtus: causa efficiens autem non est de intrinsecâ constitutione & essentia sui effecti, ideoq; de eo non prædicatur quidditativè & in casu recto, ut non possum dicere, filius est pater, calceus est sutor, sed est patris, sutoris, &c. At virtus est causa efficiens potissimæ amicitiæ ut ex sequentibus patebit. Ergo nequit esse ejus Genus.

7. (2.) Virtus tum quoad acquisitionem & actum primum, tum quoad exercitium, & operationem est in nostra potestate & libero arbitrio sita. At amicitia non est in nostra voluntate sita: licet enim tu animitùs discupias mecum contrahere amicitiam, tamen si ego te nolim redamare nunquã voti tui compos fieri poteris. Ergo vicissim amicitia non est virtus. Plura argumenta possunt videri apud Picolhom. grad. 7. cap. 9. Jacoc. Mart. de sum. bon. disp. 13. quæst. 6.

8. Succedit opinio Keckermanni & Sagittarij, qui statuunt Amicitiam esse in prædicamento Relationis, & propterea Genus ejus volunt esse unionem. His calculum nostrum addere non possumus, quia secundum tritum illud axioma Philosophicum, Relationis nulla est vis, nulla efficacia, nulla operatio. At amicitia maximè est efficax, imo sine ἐνέργεια non est amicitiæ titulo digna. Ergo non est relatio, neq; Genus ejus unio.

9. Hoc quidẽ Keckermanno etiã non rogati ambabus manibus & ulnis largimur, Amicitiam intimè in suâ essentiâ involvere

respectum, sed illum respectum esse relationem praedicamentalem ei pra manu negamus & pernegamus. Duplex enim est relatio, praedicamentalis & transcendentalis, ut norunt illi qui non sunt plane hospites in Metaphysicâ: illa constituit categoriam relationis; haec vero ad angustias praedicamenti relationis cogise non patitur, ut patescit ex naturâ & conditione transcendentium, quae à transcendendo dicuntur, & praedicamentalibus opponuntur, quod scilicet scalas praedicamentales transcendant & communitate suâ superent.

10. *Hujusmodi relationes non mutare neq; tollere absolutam entis naturam in praedicamentis consideratam, ut scilicet non sit vel qualitas vel sub alio aliquo Genere absoluto, ex inductione exemplorum elucescit. Nam omnis* potentia, & *omnis* habitus *intrinsecè (non extrinsecè) in essentiâ suâ habet involutum & complicatum respectum transcendentalem ad actus, & finem nec non objectum suum, in quo respectu tota ipsorum formalis ratio atq; adeo essentia collocata est. Unde potentiae & habitus definitione essentiali definiri nequeunt, nisi transcendentalis ille respectus insinuetur; quod ut fiat in definitione oportet ipsum objectum exprimere (v.g. Physica est scientia* corporis naturalis*) etsi objectum ipsum v.g. corpus naturale, Physicae essentiam minimè ingrediatur, tanquam perpetuò aliquid extrinsecum. Prout itaq; potentiae & habitus quando definiuntur, propter respectum transcendentalem Genus absolutum non amittunt (quis enim definit habitum v.g. Physicam quod sit respectus ad objectum, vel unio &c:) ita amicitia licet involvat relationem transcendentalem & intrinsecam cum ipsâ amicitiâ in praedicamentum qualitatis condescendentem, non amittit Genus absolutum.*

11. *Acutius itaq; cernentes* Arist. 8. Ethic. cap. 2. Jacob Martin. de sum. bon. disp. 13. q. 5. *alios q; complures sequa-*

sequamur, qui amicitiam definiunt per benivolentiam. Sustinet enim benivolentia examen canonum boni generis, quod ita ostendimus (1.) Genus est latius suis speciebus (seorsim sumptis) nec cum ijs reciprocatur. At benevolentia est latior amicitia. Probo: omnis quidem amicitia est benivolentia sed non contrà, siquidem inter illos qui nunquam semet viderunt potest esse benivolentia ut rectè docet Arist. 8. Eth. cap. 2. (2.) Genus est inseparabile à speciebus. At benivolentia quoq; inseparabilis est ab amicitia. (3.) Genus & species sunt in eodem prædicamento. At benevolentia & amicitia sunt in eodem prædicamento: illa enim est in tertia specie Qualitatis: hæc similiter, cum nihil aliud sit quam amor rectè conformatus & confirmatus (unde etiam dicitur esse similis habitui 8. Ethic. 7.) sitq; affectio proba. Reliquos canones alijs applicandos relinquimus.

12. Duplex autem est benivolentia θεωρητικὴ & πρακτικὴ. Theoretica optat bona, & sic in bona volitione terminatur. Practica velle in effectum externum producit & efficaciter benefacit. Amicitia vero non est otiosa ac iners sed efficax benivolentia, quæ in externum opus prodit; unde Aristoteles eam vocat non latentem. Sed nec hoc sufficit ad naturam amicitiæ exprimendam, ideoq; Philosophus addit l. c. mutuam. Multi enim erga alios ipso opere & exercitio benevolentiam exercent, qui tamen invicem non sunt amici. Mutuus ergo requiritur amor, mutua benevolentia. Et qui aliter? Amicus enim debet esse amico amicus, cum amicitia sit summa conjunctio: summa autem non est, quæ non reciproca.

13. Horsum spectat divisio illa amoris in activum & passivum 8. Ethic. cap. 9. quæ ansam quæstioni præbet, utrum in amicitia præstantius sit amare quàm amari? Prius arripimus cum Philosopho dicto loco, quia in bonis actio semper est præ-

stan-

stantior passione. Ergo præstantius est amare quam amari. Idem probat l. c. Aristotelis exemplo amicitiæ quæ est arctissima, nempe matris & filij. Matres enim magis gaudent amore activo quam passivo, imo sæpè redamari negligunt dummodo suum erga liberos amorem possint exercere.

14. Cum amabile triplex sit, bonum honestum, jucundum & utile, triplex inde constituitur amicitia, Honesta, Jucunda, & Utilis. Nam amor & amicitia pertinent ad facultatem appetitivam. At appetitio non excitatur nisi ex cognitione objecti boni. Ergo & amicitia tunc demum oritur quando appetimus objectum & cupimus cum eo uniri. Illud autem objectum est triplex, honestum, jucundum & utile. Ergo & species amicitiæ tres sunt, ex quibus posteriores duæ imperfectæ juxta Aristotelem 8. Ethic. 3. Nam (1.) tales amicitiæ sunt κατὰ συμβεβηκὸς; non enim hujusmodi amici se amant mutuo per se, sed propter utilitatem & jucunditatem. (2.) tales amicitiæ non sunt firmæ & stabiles, quia voluptas & jucunditas facilimè tolluntur.

15. Amicitia honesta est benivolentia mutua, conspicua, confirmata, bonorum seu proborum hominum, ex virtutis cognitione efflorescens, & ad vitæ honestæ conjunctionem perducens.

16. Causam perfectæ amicitiæ dicimus esse solam virtutem, quam assertionem intellectam volumus de causa principali. Aliàs minus principales, tanquam conditiones requisitas non excludimus, neq; patitur illud veritas. Nam cum ignoti nulla sit cupido, necesse est virtutem, quâ alter præditus est, tibi esse perspectam, ad quod porro requiritur tempus & vitæ consuetudo longior. Mens humana, inquit Tullius, multis simulationum involucris tegitur, & quasi velis quibusdam obtenditur uniuscujusq; natura; frons, oculi, vultus persæpè men-

mèntiuntur, oratio vero sæpissimè. Quam verè! ut sæpiusculè optanda videatur à Momo desiderata fenestella, quâ oculis ad cor introspiciendum via pateat.

17. Quid ergo sentiendum de amicitia inter pocula contracta, an adprobanda? Multis hodie ita visum, qui cum incipiunt furere scyphis, inter vini tormenta novas fraternitates veteribus adglomerant, à quibus abeunt qui rem pressiùs considerant. Fundamentum enim veræ amicitiæ est virtus quæ debet esse cognita. Quomodo vero poteris eam cognoscere & expiscari cum per ebrietatem oculi caligant, & intellectus crassis fumis est obtenebratus? Pulchrè igitur Dn. D. Meisn. lib. 2. de Legib. q. 12. pag. 228. amicitiam inter pocula contractam vocat Aquosam, propterea quod veluti aqua est elementum humidum, fluidum & frigidum: sic fraternitas illa (1.) est humida, quia per humores contrahitur, in humores desinit, & malos humores excitat, (2.) est fluida, quoniam ad multos se diffundit & inconstantiâ laborat, (3.) est frigida, quia cito extinguitur.

18. Nihilominus distinguendum heîc esse arbitramur inter illos qui in convivijs amicitiam contrahunt. Aut enim contrahunt illam cum adhuc uterq; est sobrius, aut cum jam ebrius. Si uterq; adhuc sobrius, & alter alterius virtutem jam antea habuerit cognitam quidni liceat, datâ occasione in convivio, amicitiam inire? Si autem uterq; benè potus, ut rationis usu destituatur, & præterea ignoti fuerint, nullam veram inter se possunt contrahere amicitiam, utpote quæ plurimos & iteratos conversationis virtutis plenæ actus poscit. Si vero ebrius non satis notus, tecum sobrio amicitiæ vinculo uniri haveat, etiamsi amicam conversationem, fidelitatem, constantem amorem, imo ipsum cor despondeat, tamen non erit vera amicitia, quia ex altera parte deficit usus rationis, qui

in deligendis amicis debet esse accuratissimus & intensissimus.

19. *Subjectum perfectæ amicitiæ non sunt nisi viri boni. Ratio desumenda ex præcedentibus, quia ex sola virtute consurgit honesta amicitia. Virtus autem facit virum bonum & probum. Unde patescit, cur amicitia perfecta sit tam rara, & tam pauci veri amici, ut Diogenis lucernâ opus ferè sit? Facit enim hoc raritas subjecti nempe bonorum virorum, & raritas causæ, virtutis scilicet. Cui rationi* Arist. 8. cap. 4. *aliam addit, quod sc. tempore & consuetudine longiore indiget, siquidem, ut in proverbio dicitur, fieri nequit ut mutuo homines sese cognoscant, priusquam aliquot modios salis simul absumpserint.*

20. *Hinc fluit etiam altera perfectæ amicitiæ proprietas, nempe duratio. Fundamentum enim est firmum & stabile, quod est habitus virtutis. Habitus namq; definitur qualitas difficulter mobilis. In hoc, inquit* Aristot. lib. catheg. cap. de qualit. *differt habitus & affectio, quòd ille diuturnior est & permanentior, quales sunt scientia atq; virtutes. Scientia enim videtur in ijs esse, quæ sunt diuturna & difficulter amoventur, si quis vel mediocriter scientiam acceperit, nisi vi morbi aut alicujus ejusdem generis permagna inciderit mutatio. Itidemq; Virtus, ut justitia & temperantia & id genus alia, non videntur facile amoveri aut mutari posse. Hæc ille. Cum itaq; amicitia perfecta à virtutis & virtute præditis colatur, qui se amant ac mutuo sibi benè volunt per se sive quatenus tales h. e. viri boni, non vero propter aliud, voluptatem vel commodum, sequitur amicitiam illorum tam diu duraturam quam diu boni permanserint docente iterum Philosopho* 8. Ethic. 4. *Contrà in utili & jucunda amicitia quia amicus amicum non amat propter ipsum, sed propter vo-*

lupta-

luptatem & commodum quod ab illo percipit, quæ duo fundamenta non sunt stabilia, facilè quoq; ipsa amicitia evanescunt.

21. Ex eodem fonte tertium manat perfectæ amicitiæ proprium, quod videlicet in illa locum non habeant querelæ & expostulationes. Quoniam enim uterq; vir bonus, etiam summam adhibet diligentiam, ne alter alterum injuriâ afficiat. Quin & qui ob virtutem amici sunt ad beneficia mutuò sibi conferenda sunt prompti, & contendunt invicem de beneficentia. Eorum vero qui in hoc certant, expostulationes nullæ neq; pugnæ esse possunt, quippe cum erga eum qui amat & benefacit indignetur nemo; qui vero benefaciendo exsuperat, cum consequatur id quod cupit, accusare nullo modo amicum potest, ut acutè disserit Philosophus 8. Ethic. c. 15. Querelæ igitur & expostulationes in utili amicitia locum habent, in quâ cum non raro fiat, ut alter minus se habere existimet quam conveniat sicq; plura desideret quam alter præstare vel possit vel velit, hinc fit, cum alter petita denegat officia, ut alter conqueratur se indigne negligi. Ob quam causam Aristot. l. c. utilem amicitiam ἐγκληματικὴν expostulatricem vero suo titulo indigetat.

22. Quarto ijs qui honestam colunt amicitiam maximè competit concordia. Ratio est quia illi sunt viri probi & boni. At viri boni affectus per habitus virtutum habent domitos, ut rectæ rationis dictamen absq; luctâ ultronei (omnis enim habitus facilitat potentiam ad promptè & hilariter operandum) sequantur, quam ob causam secum ipsis sunt concordes. Ergo etiam inter se mutuo sunt concordes, cum utriusq; voluntas non tantum constans ac stabilis in proposito, sed etiam eadem sit. Uterq; enim non vult nisi quæ honesta & justa sunt, quæq; conducunt; atq; hæc communiter appetunt, ait Arist. 9. Eth.

cap. 6. *Quapropter etiam concordia merito habetur pro verissima nota veræ amicitiæ, ut eleganter innuit Comicus: idem velle & idem nolle, ea demum firma est amicitia.*

23. *Noli autem existimare ὁμόνοιαν esse idem quod ὁμοδοξίαν sive opinionum consensio. Nam (1.) concordia est duntaxat inter notos, amicitiæ glutino conjunctos. At consensus opinionum potest consistere inter ignotos qui nunquam se viderunt. Quot enim Philosophi locis maximè dissiti eadem unâ de re fovent sententias? (2.) Concordia est in rebus practicis & gerendis ad civilem societatem, communemq; utilitatem eorum qui concordes sunt, pertinentibus. Unde illud: concordia res parvæ crescunt, discordia magnæ dilabuntur. Consensus vero sententiarum est de rebus ad scientias & artes spectantibus. Ex his patet solutio quæstionis illius quâ quæritur, an vera amicitia possit inter eos esse qui in disputationibus nonnullis artium & scientiarum dissentiunt? Si enim concordia in practicis, & consensus opinionum in speculativis, quidni hujus contrarium sc. opinionum diversitas possit simul consistere cum concordia? Ideoq; exosculamur illud Poëtæ:*

Non eadem sentire bonos de rebus ijsdem
Incolumi licuit semper amicitia.

Sed cave aliam præter simplicem intelligas dissensionem? Dissensus enim qui secum trahit suspiciones sinistras & odium cum amicitia consistere nequit.

24. *Demum amicitiam consequitur beneficentia & bonorum communio. Unde tritum illud, quo ferè nihil tritius: amicorum omnia sunt communia, quod ipsum verum esse dicimus cum* Jacobo Martin. & Nicol. Hunnio, *si binæ adhibeantur limitationes. 1. ratione χρήσεως, non κτήσεως. Est enim perpetuus amicitiæ comes ἀφελεία qua bonis suis, omnibus quibus potest modis amico prodest, ejusq; commoda sedulo promovet.*

vet. 2. Normam terminumq; huic bonorum communioni præscribit, amicitia, virtus & honestas, quæ non patitur vel contra voluntatem amici, vel in ipsius dedecus, infamiam & damnum quicquam moliri quenquam. Ergo non licitum est amico diripere proventus agrorum, pecudes &c.

25. Cùm Διεγωγία ad amicitiam spectet, videtur ad illam quoq; maximè necessaria esse conversatio quæ facit ad mutuam officiorum compensationem. Hinc enascitur 1. quæstio an inter absentes & in locis longè dissitis viventes conservarî possit vera amicitia? Negativam adserere videtur tritum illud Germanorum proverbium Kombstu mir auß den Augen/ so kombstu mir auch wol auß dem Sinn. Nos breviter respondemus, non omnem absentiam tollere amicitiam, neq; semper in totum, sed in tantum ut loquuntur, quod ut clarius fiat, distinctiones quasdam heîc adhibendas cum Nicol. Hunnio alijsq; censemus.

26. Nam 1. absentia, ut & præsentia, alia est corporum alia animorum. Præsentia animorum perpetuo requiritur ad amicitiæ tam generationem quam conservationem. Præsentia corporum non tam ad amicitiæ conservationem quam γένεσιν requiritur. Ita è contrario absentia corporum non tollit absolutè & totaliter amicitiam, sed animi absentia. 2. Absentia vel est planè muta, vel non planè muta. Illam voco quâ non tantum viva vox intercipitur, sed etiam literarum & amicorum ab uno ad alium migrantium internuncium penitus interquiescit. Hanc vero appello in quâ amici & literæ vivam vocem supplent. Prior videtur amicitiam tollere, non posterior. 3. Absentia alia est exigui temporis, alia diuturna. Prior amicitiæ non est inimica, sed potius reddit eam amabiliorem, & est veluti recreatio quædam. Posterior autem ejus oblivionem videtur inducere, ut loquitur Philosophus 8. Ethic.

cap. 6. 4. *Distinguendum inter amicitiam vigentem & languentem. Ad illam requiritur corporum quoq; præsentia, ad hanc non item. 5. Distinguendum inter amicitiæ actum primum & secundum, inter amicitiam & inter ejus operationem, inter affectum & effectum, sive affectionem & effectionem. Aristoteles loco proximè citato polcrè hac de re disserit inquiēs: quemadmodum in virtutibus alij ex habitu (ut illi qui dormiunt) alij ex operatione boni dicuntur: ita quoq; in amicitia est. Nam qui (amici) in convictu degunt mutuâ consuetudine oblectantur, & bona sibi mutuo suppeditant; qui vero dormiunt vel locis divisi sunt, non operantur illi quidem, sed ita tamen affecti sunt, ut amice operentur. Hoc est, sunt amici affectivè licet non effectivè: quamvis Keckermannus* lib. 5 syst. Eth. c. penult. *velit secundum ἀναλογίαν etiam actualem & effectivam, amicitiam inter absentes esse, quatenus literæ quæ inter absentes mutuo scribuntur, analogiâ respondent colloquio & conversationi quæ est inter præsentes.*

27. *II. Quæritur* an fælix indigeat amicis? *Cum amicitia per ἀυτάρκειαν sit efficax, adeoq; aliquid suppeditet, fælix qui ex se sufficiens est amicis non indigere videtur. Nihilominus tamen sententia contraria quam* Aristoteles 9. Eth. cap. 9. *defendit veritati magis consentanea. (1.) quia absurdum videtur cum bona omnia fælici attribuamus, amicos non tribuere, qui ex bonis externis maximum videntur. (2.) Absurdum est beatum facere solitarium, cum homo natura sit animal πολιτικὸν: quæ enim natura bona sunt, beatus quoq; possidet. At cum amicis & probis viris conversari melius est, quam cum alienis & quibuslibet hominibus diem traducere. (3.) Amici & viri probi magis est conferre beneficium quam accipere. Jam benefacere amicis quam alienis honestius est. Ergo beatus amicis indiget erga quos virtutem exerceat quosq; beneficio afficiat.*

Quæ-

28. III. *Quæstio movetur, in quâ fortunâ magis indigeamus amicis, an in secundâ, an verò adversâ? In utrâq; fortunâ necessarij sunt amici, eo quod & qui in infortunio est constitutus ijs indigeat per quæ (bona) beneficentiam exerceat; & fortunati ijs in quos beneficia conferant. Si vero quæstio comparativè instituitur, respondet* Aristoteles 9. Ethic. cap. 11. *habere amicos in adversâ fortunâ esse magis necessarium, in prospera autem honestius & pulchrius. Nam fortuna adversa nos privat necessarijs instrumentis ad exercendas virtutes, consequendam felicitatem, imo non tantum ad benè esse sed ad simplex esse seu ipsam vitam tutandam & conservandam, ideoq; tunc magis necessarij sunt amici, ijsq; absolutè magis egemus: In prospera fortuna amicis magis egemus non absolutè, sed cum adjectione h. e. ad præstantiora munera subeunda. Sed & altera distinctio non insulsa, quam suppeditat* Picholm. grad. 7. cap. 23. *inquiens, egentem dupliciter posse considerari vel ut hominem, vel ut amicum. Si consideratur ut homo magis amico eget in adversâ fortunâ: at dum consideratur ut amicus, qui in eo præsertim est positus, ut amet opemq; ferat, in secundâ fortuna amicis magis indigere videtur.*

29. *In praxi amicitiæ benè observandi canones quos* Aristoteles 9. Ethic. 11. *tradit. 1. Ad prosperas fortunas amici sunt promptè & cito invitandi & vocandi, quia ita facimus illos participes nostræ felicitatis & nostri gaudij, adeoq; magno beneficio afficimus. At beneficum esse honestum est. 2. Ad adversas fortunas tardè vocandi sunt amici, quia in hoc statu partimur cum ipsis res adversas, ipsiq; quasi oneris partem in se suscipiunt. At malorum participes quam minimum facere amicos decet. Unde illud:* esse me miserum satis. *3. Ideoq; tunc maximè advocandi sunt amici quando parvâ molestiâ susceptâ prodesse multum possunt. 4 E contrario ire ad amicos infortunatos ultronei & promptè citoq; debemus, nec exspectare*

ctare ut invitemur aut vocemur. Hoc enim nobis honestius, & amico oppresso jucundiùs: namq; amici est benefacere, & maximè ijs qui in indigentia constituti sunt, & qui non petierunt. 5. Ad fortunatos amicos quoq; cito ire debemus, sed cooperandi & gratulandi causa; tarde autem, ut beneficijs afficiamur, quandoquidem studere utilitatem consequi, honestum non est.

30. Amicitia jucunda est quæ contrahitur propter voluptatem & jucunditatem. Ad hanc maximè idonei sunt juvenes (1) quia affectibus maximè indulgent, & secundum illos vitam traducunt: quam ob causam Arist. 1. Ethic. 1. ait, juvenem non esse idoneum auditorem Ethices (2) quia omnes suas actiones voluptatibus metiuntur; unde libentius conversantur cum ijs qui voluptatibus gaudent, ut sunt juvenes & coæquales.

31. Hinc patet ratio, cur amicitia jucunda sit instabilis & facilè mutetur? Nam (1) subjectum ejus est instabile & mutationibus quam maximè obnoxium, nempè juvenes, qui teste Arist. 8. Ethic. 3. & experientiâ, sæpè eodem die sententiam mutant. Causam quæris physicam? Est illa fervor juvenilis, calorq; suâ natura mobilis. (2.) Ipsa voluptas est inconstans ratione fundamenti, quod sunt bona fortunæ, quæ omnibus fortunæ casibus exposita, à quis sæpenumero non perfunctoriè arietantur, quatiuntur, & non raro penitus convelluntur.

32. Amicitia utilis est quæ contrahitur propter commodum & utilitatem. Hæc competit senibus, qui calcato jucundo, utile sectantur. Sunt enim senes attenti ad rem, illorumq; proprium quasi vitium avaritia esse videtur. Norunt enim quam durum sit possedisse, ideoq; cum sint imbecilles, propter talem imbecillitatem de acquirendo diffidunt. Obnoxia est hæc amicitia suspicionibus & querelis, quia uterq; utilitati hiante rictu inhiat, & plus appetit quam alter præstare potest, unde etiam est instabilis. Dispescitur utilis amicitia in moralem & legalem, de qua ut & alijs divisionibus, quas hoc sicco pede præterimus videatur Aristoteles & alij. Nos claudimus rivos.

luptatem & commodum quod ab illo perci … funda-
menta non sunt stabilia, facilè quoq; ip … evane-
scunt.

21. Ex eodem fonte tertium man … micitiæ
proprium, quod videlicet in illa locum … quærelæ
& expostulationes. Quoniam enim ut … , etiam
summam adhibet diligentiam, ne alter … riâ affi-
ciat. Quin & qui ob virtutem amici … cia mu-
tuò sibi conferenda sunt prompti, & cont … em de
beneficentia. Eorum vero qui in hoc cer … tulatio-
nes nullæ neq; pugnæ esse possunt, quippe … qui a-
mat & benefacit indignetur nemo; qu … aciendo
exsuperat, cum consequatur id quod cupi … ullo mo-
do amicum potest, ut acutè disserit Philo … ic.c.15.
Quærelæ igitur & expostulationes in uti … um ha-
bent, in quâ cum non raro fiat, ut alter m … existi-
met quam conveniat sicq; plura desideret … æstare
vel possit vel velit, hinc fit, cum alter pe … fficia,
ut alter conqueratur se indigne negligi. … ausam
Aristot. l. c. utilem amicitiam ἐγκλημα … atricem
vero suo titulo indigetat.

22. Quarto ijs qui honestam colunt … maximè
competit concordia. Ratio est quia illi su … & boni.
At viri boni affectus per habitus virtutum … itos, ut
rectæ rationis dictamen absq; luctâ ultron … m habi-
tus facilitat potentiam ad promptè & hi … dum)
sequantur, quam ob causam secum ipsis s … . Ergo
etiam inter se mutuo sunt concordes, c … oluntas
non tantum constans ac stabilis in proposi … eadem
sit. Uterq; enim non vult nisi quæ honest … t, quæq;
conducunt; atq; hæc communiter appetun … 9. Eth.
cap. 6.